BIBLIA SACRA,

CARMINIBUS MNEMONICIS COMPREHENSA,

Cum brevi adjecta notitia de Scriptoribus Sacris,

SUB

AUSPICIIS

MAGNIFICI DOMINI DOMINI.

JOANNIS BAPTISTÆ,

HUSSARZEWSKI,

DAPIFERI SMOLENSCENSIS.

DUM

Publicum Studiorum suorum facerent periculum

SACRÆ THEOLOGIÆ CANDIDATI,

IN

SEMINARIO VARSAVIENSI

CONGREGATIONIS MISSIONIS,

PRÆSENTATA.

ANNÔ 1778.

MAGNIFICE DOMINE.

PErbrevem hanc totius Sacræ Scripturæ synopsim, unà cum respicientibus eam Positionibus Theologicis, quòd TIBI dedicem, sub tuoque nomine evulgare ausim, facilè veniam dabis; TU enim fecisti, dictîs factîsque tuîs cum mihi declarâsti: quàm magno Sacrarum Scripturarum amore capiaris, quâvè ad Sacrum Codicem diligentiâ recurras; Cùm TIBI in sedula tua Librorum Spiritualium lectione, aliquid inde haustum acceptumque legere contingat. TE felicem beatumque satis! quem tantopere Sacræ paginæ lectio delectat; bene videlicet cognoscis: quòd De ista Civitate, unde peregrinamur, hæ literæ nobis venerunt. Jpsæ sunt Scripturæ, quæ nos hortantur, ut bene vivamus: *quodque* Jmperator Cæli, Dominus Angelorum & hominum, pro vita Tibi epistolas suas transmisit, *has TU quia prout par est, ardenter legere non negligis, ex eo est, quòd habens solatio Sanctos libros, qui sunt in manibus tuis, nullô aliô indigere videaris, ita: ut verè de TE [procul verbo absit adulatio] illud Prophetæ dicatur:* Sedebit solitarius, & tacebit, quia levavit super se. *Ea re etiam fit: quòd TE non delectat, utì delectare solet, maximoque plurimis esse in pretio, hoc præsertim nunquam satis hac ex parte deplorando sæculo, eorum auctorum lectio, qui præ pudore pestiferis liberculis suis, ne nomen quidem suum apponere audent; non arrident TIBI Libertinarum fabularum, cæterarumque anilium collectiones, aut alia quæque infanda ac impia scripta, quibûs Religioni & Deo bellum infertur: aversaris Tu ea, refugisque omnia, quæ perniciosa atque venenata sunt, & quæ ex pestilentibus nôsti emanâsse fontibus, ut nuper [in quo quis*

S. Augu: Conc: 2. in Psalm. 90.

S. Gregr: Mag: Lib: 4. Epist: 84.

I. Mach: 2. 9.

Thr: 3. 28.

TE condignè laudaret ?] *ad exemplum nobis, o utinam omnibus ! ostendisti : dum oblatum TIBI ex D. Rousseau fragmentum excerptum, quasi singulare de libertate hominis scriptum, quòd reapse ad exacerbandos in suos Toparchas subditorum animos, subdolè est concinnatum, rejecisti ; tacitè indicando : libros libellosvè ejusmodi haud tuæ lectionis esse ; quod Ego Servus Tuus, jam ab annis aliquot, pluribus TIBI devinctus nominibus, probè intelligens, in signum grati erga TE animi mei, hoc compendiolum eorum Librorum, quos TE in magnis deliciis habere perspexi, offerre decreveram : quod dum jam exhibeo, Deum Ter Optimum, Maximum, ut Nomen Tuum in Libro vitæ scrivtum, semper retentum inveniatur, suppellex oro.*

TUÆ MAGNIFICÆ

DOMINATIONIS

Humilis Servus.

J. C. C. M.

NUMERUS
ET ORDO LIBRORUM.
UTRIUSQUE TESTAMENTI.

ACcipe Sanctorum numerum seriemque librorum :
Genesis, Exo, Levi, Numerorum, Deuteronomi,
Post Josue, Judicum, Ruth, Regum, Paralip, Esdræ,
Tobia, Judith, & Esther, tum Job, Davidicusque,
Dat Proverb, Eccles, Cantat, Sapit, Ecclesiastic,
Jsai, Jeremias, Baruch, Ezech, Danielque,
Osee, Joel, Amos, post hunc est Abdia, Jonas,
Michæam sequitur Nahum, & Habacuc, ac Sophonias,
Aggæum cum Zacharia Malachi, Machabæus,
Matthæus, Marcus, Lucas, Joannis, & Actus.
Roma, Corinth, Galatæ Ephesi, Philippe, Colossen,
Thessal & Timoth, Titus, Philemon, Hebræus.
Et Petrus, Joan, Jacobus, Judas & Apoc.
Cognita Sacrorum sic fit tibi summa Librorum.

MOyses Propheta sanctissimus & vetustissimus, & primus inter Scriptores Ecclesiasticos, natus est, secundùm Bellarmini computum, anno bis millesimo quadringentesimo tertio ab initio mundi. Vixit annîs centum viginti. Annô octogesimo vitæ suæ suscepit jussu Dei principatum Hebræorum id est: anno mundi 2483. Obiit anno mundi 2523. Vir fuit doctissimus non solum in omni sapientia Ægyptiorum, ut dicitur à S. Stephano Act: 7, sed etiam in arte Historica, Poetica, Oratoria, Morali & Theologica, ut ex libris ejus intelligi potest. Scribit enim Historiam, Genealogias, & res gestas Patriarcharum ab Orbe condito, usque ad exitum filiorum Jsrael de Ægypto, id est ab initio temporum usque ad annum bis millesimum quadringentesimum octogesimum tertium, imo etiam usque ab obitum suum, id est usque ad annum bis millesimum quingentesimum vicesimum tertium. Quæ post mortem Moysis scribuntur in extremo capite Deuteronomii, addita sunt vel à Josue, vel ab Esdra, vel ab alio aliquo Propheta. Insignem fuisse Poetam Moysen testantur duo Cantica ipsius, alterum Exodi 15. alterum Deuteronomii 32. Oratorem testatur ipsius oratio,

tio, quam scribit sub nomine Judæ ad Joseph Gen: 44. & alia ipsius Moysis ad Deum Num: 14. & exhortationes vel reprehensiones ad populum. De scientia morali & peritia legum condendarum non tam proprio ingenio, quàm inspiratione Divina, testis est magna pars Exodi, Levitici, & Deuteronomii. Denique de mysteriis Theologiæ, sub figura Arcæ fæderis, & vestium Sacerdotalium, & totius tabernaculi, testis Philo Hebræus, qui has Allegorias subtilissimè explanavit. Scripta Moysis Pentateucho, id est quinque voluminibus continentur, quorum summa sequenti comprehenditur carmine.

GENESIS.

Cap: 1. 2. 3.
Fit mundus; formatur homo: mox peccat Adamus.
4. 5.
Cæde vagus, colit urbem, artesque: repullulat orbis.
6. 7. 8. 9.
Peccantes pereunt; Noe servatur, & offert.
10. 11.
Dum se diffundit mundus, confunditur ore.
12. 13. 14.
Fit peregrinus Abram; ditatur, Lotque reducit.
15. 16. 17.
Credidit, & prolem, fædusque in carne recepit.
18. 19.
Frustra orat; sulphur pluit, hinc Moabus & Ammon.
20. 21.
Sara Soror, conjuxque Abrahæ parit, ejicit Agar.
22. 23.
Jmmolat affectu natum, sepelitque maritam.
24. 25. 26.
Sponsatur; geminos generat; benedicitur Jsaâc.
27. 28.
Fratrem supplantat Jacob; refugitque minantem.
29. 30. 31.
Auctus conjugibus, natis, gregibusque, revertit.
32. 33.
Luctatus superat: germani cedit & ira
34. 35. 36.
Raptus turbat: obit Rachel; Edom à fratre recedit.
37. 38.
Dilectus vænit Joseph: geminos Thamar edit.
39. 40. 41.
Castus, & interpres, de carcere clarior exit.

Vincla,

42. 43. 44. 45.
Vincla, metusque, minæque, probant demum oscula fratrem.
46. 47.
Jsrael Ægyptum ingreditur; fitque incola Gessen,
48. 49. 50.
Hos, illos moriens benedicit: obit quoque Joseph.

EXODI.

Cap: 1. 2.
Jsrael opprimitur: Moyses cæde aufugit aulâ
3. 4.
Mittitur in signis; Sociusque adjungitur Aâron
5. 6.
Pejus agit Pharao; Dominusque potentiùs instat.
7. 8. 9.
Virga vorat; rubet unda; Animalia; pestis & ulcus,
10. 11.
Grando, Locusta & nox: Memphim spoliare jubetur
12. 13.
Extinctis primogenitis, dum Pascha fit, exit
14. 15.
Trans mare, submerso grates Pharaone rependit
16. 17.
Manna datur, fluit è Silice unda, Amalecque fugatur.
18. 19.
Justitiæ partitur onus: Sina lampade fulget
20. 21. 22. 23.
Hinc præcepta Dei, hinc & judicialia traxit
24. 25.
Sancitur fædus: rerum exemplaria dantur.
26. 27. 28. 29. 30. 31.
Velum, Altare, Oleum, vestes, thymiamata, fabri,
32. 33. 34.
Plebs idola colit: veniam Tabulasque recepit.
35. 36. 37. 38. 39. 40.
Ex donis populi, Domino fit mobile templum.

LEVITICI.

Cap: 1. 2. 3.
Jmmaculata holocausta, oblatio, & hostia pacis.

4. 5. 6.
Inscius, immundus, reus offert, atque Sacerdos.
7. 8. 9. 10.
Vescitur his unctus Domini; offert: hos vorat ignis.
11. 12.
Esca legenda tibi: mundanda puerpera dono.
13. 14. 15.
Discerne, & munda lepram; & cum sanguine semen.
16. 17. 18.
Sic intra, & macta: conjungi turpe propinquis.
19. 20.
Sisque pius, justusque: magos fuge & omne nefandum
21. 22.
Uncti sint Sancti; sit cuncta oblatio sancta.
23. 24. 25.
Festa colenda, Deusque; & septenarius annus,
26. 27.
Hinc rectis bona, & hinc pravis mala: reddite vota.

NUMERORUM.

Cap: 1. 2.
Bellantem numera populum; & per castra locato.
3. 4.
Pro primogenitis, & templo assume Levitas.
5. 6.
Ejice pollutos, bibat uxor adultera: Vota,
7. 8.
Offert quæque Tribus sua dona; Aaronque Levitas.
9. 10. 11. 12.
Castra movent; carnesque petunt: leprosa Maria.
13. 14.
Lustratur terra: intentat pro murmure mortem.
15. 16. 17.
Hunc Saxa; hos humus haurit, & ignis: virgaque floret.
18. 19.
Aaron primitias, decimasque Levi: expiet unda.
20. 21.
Dat petra aquam; Aaron obit: vincunt, serpensque medetur
22. 23. 24. 25.
Ter Baalam benedicit eis; fert præmia Zelus
26. 27.
Bellantes. rerum numera; Terram aspice Moses

Sic

28. 29. 30.
Sic mihi sacrifica: sic firma, vel irrita vota.
31. 32. 33.
Deletus Madian, Tribubus tribus obvenit: hîc stant
34. 35. 36.
Divide asyla loca: in Tribubus connubia junge.

DEUTERONOMII.

Cap: 1. 2. 3.
Huc veni, vidi, vici, at mihi terra negatur.
4. 5.
Hæc mando tibi; quæ Dominus mandavit in Horeb.
6. 7.
Dilige toto ex corde Deum; Simulacraque dele.
8. 9. 10. 11.
Ipse deditque, dabitque, ut ames, præceptaque serves.
12. 13.
Aras subverte, & falsos occide Prophetas.
14. 15. 16.
Munda sit esca; remitte; colens tria festa per annum.
17. 18.
Pontifici causas fer; primitiasque Levitis.
19. 20.
Perfugia in medio: hos è pugna, illosque remitte.
21. 22.
Non rea sanguinis urbs; moriatur adulter uterque.
23. 24. 25.
Hos recipe, hos arce: merces mensuraque justa
26. 27.
Has mihi primitias dabis: hinc bene & hinc male dicent.
28. 29. 30.
Sic felixque miserque: en fædera; vitaque, morsque
31. 32. 33. 34.
Josua dat Moyses: cantat, benedicit, obitque.

JOsue filius Nun, Successor Moysis fuit in principatu Hebræorum anno mundi 2523, qui populum post obitum Mosis rexit annis 26, & obiit anno centesimo decimo vitæ suæ, ut habetur in ultimo capite Josue. Quis Auctor fuerit libri Josue, non est omnino certum. Nam S. Athanasius in synopsi rectè monet ex nomine libri non neces-

necessariò colligi Auctorem, sed materiam. Dicitur enim liber Josue, quia continet res gestas Josue: & eodem modo dicuntur libri alii, vel Judicum, vel Ruth, vel Regum, vel Tobiæ aut Judith, aut Esther, aut Machabæorum. Theodoretus in libro de quæstionibus in Josue, existimat librum Josue scriptum ab Auctore anonymo, qui scripsit librum justorum, de quo dicitur Josue 10. *nonne scriptum est hoc in libro justorum?* Sed hoc argumentum nihil efficit, nam non agitur eô locô, nisi de ingenti illo prodigio, quo ad verbum Josue sol & luna steterunt. Hoc enim prodigium cum aliis similibus videtur annotatum fuisse in aliquo libro, qui dicebatur liber justorum.

Sanctus Jsidorus lib: 6. Originum cap: 2. affirmat librum Josue scriptum fuisse ab ipso Josue. Hoc verisimum esse videtur Bellarmino, tum quia extremo capite hujus libri dicitur de Josue: *Scripsit quoque omnia verba hæc in voluminibus Domini:* tum quia omnino credibile est Josue Ministrum, Discipulum & Successorem Mosis imitari voluisse Dominum, & Magistrum, & prædecessorem suum, ut sicut ille ad æternam memoriam literis mandaverat res gestas in populo Dei usque ad sua tempora, ita & ipse faceret, cum ei nec scientia, nec assistentia Spiritus Sancti in scribendis Sacris historiis deesset. Pauca quæ adduntur in fine libri de morte ipsius & sepultura, sine dubio scripta sunt à Successoribus, quicumque illi fuerint, & verisimile est à Samuele vel Esdra. Summam totius libri sequentes exhibent versus.

J O U S E.

Cap: 1. 2. 3. 4. 5. 6.
Jouse dux; Rahab: unda; lapis: Phase: Jericho capta.
7. 8.
Furto Achan lapidatur: Hai consumitur igne.
9. 10. 11. 12.
Callida gens: stat sol; Urbes; destructaque regna.
13. 14.
Divisio terræ Chanaan: Caleb accipit Hebron.
15. 16. 17. 18. 19.
Sortes Judæ; Ephraim, Manasses, Benjamin, & Dan.
20. 21. 22.
Sex & asyla; Levi pars: Gadque Rubenque remissi.
23. 24.
Diligite; ac servite Deo; & nunc fœdus inite.

Samuel

SAmuel Propheta fuit ultimus Judex & Princeps populi, antequam Reges creari cæpissent. Suscepit autem principatum anno mundi 2878, præfuit annis 20. Hunc fuisse Auctorem libri Judicum & Ruth, & libri primi Regum docet S. Jsidorus lib: 6. orig: cap: 2, & quod attinet ad librum primum Regum, in quo continentur res gestæ Davidis, testatur liber primus Paralip: cap: ultimo, eum scriptum fuisse à Samuele.

JUDICUM.

Cap: 1. 2.
Judas & Simeon pugnant: monet Angelus, & flent.]
3. 4. 5.
Pax & bella Jacob: victrix dat Debora cantus.
6. 7. 8.
In signis Gedeon, Madian, Soccothque retundit.
9. 10.
Abimelech vincens perit: hi peccata fatentur.
11. 12.
Sacrificat natam Jephte; Ephratæosque repressit.
13. 14. 15. 16.
Samson ob uxorem furit, & secum obruit hostes.
17. 18.
Jdolum Michæ, vi Dan capit, & Lais urbem.
19. 20. 21.
Pro scelere est deleta tribus; reparataque raptu.

RUTH.

Cap: 1. 2. 3. 4.
Ruth Noemi sequitur: spicas legit, accipit & Bôoz.

I. REGUM.

Cap: 1. 2. 3.
Anna parit Samuel; cantat, Dominusque minatur.
4. 5. 6. 7.
Capta est, affligit, necat, atque reducitur Arca.
8. 9. 10.
Rex petitur: quærens Saül ungitur, inde prophetat.
11. 12. 13. 14.
Hinc Rex: [hic justus] vincunt, salvat Jonatham plebs.
Dum

15. 16.
Dum servatur Agag; reprobatur, & ungitur alter.
17. 18.
Percusso Goliat; Saüli malè David habetur
18. 20.
Quærit ut occidat, signum transmissa sagitta
21. 22. 23. 24.
Cum fugit, ille furit: Ceilam hic, hostemque relinquit.
25. 26.
Stulti uxor sapiens: hastam rapit, abstinet hoste.
27. 28. 29.
Is prædas agit; ad Sagam iste: remittitur ille.
30. 31.
Ablatam recepit prædam; hi de Rege triumphant.

GAd & Nathan Prophetæ prosecuti sunt res gestas Davidis, quæ habentur in libro primo & secundo Regum, & initio tertii, ab eo loco ubi desiit Samuel. Sic enim scribitur lib: 1. Paralip: cap: ultimo. *Gesta autem Regis David priora & novissima, scripta sunt in libro Samuel videntis.* Ætas horum duorum Prophetarum necessario debet poni post obitum Davidis; qui obitus contigit anno mundi 2959.

II. REGUM.

Cap: 1. 2.
Et Saülem & Jonatham flet David: regnat in Hebron.
3. 4. 5.
Abner & Jsboset occisis; Regem Jsraël ambit.
6. 7.
Ludit coram Arca: promittitur ædificator.
8. 9. 10.
Victor ubique, piusque; protervumque ultor in Ammon.
11. 12.
Fit de Mœcho homicida, pater, vir, pœnitet illum.
13. 14.
Vindicat ille stuprum in fratrem: hic placatur ab illa,
15. 16. 17. 18. 19. 20.
Rex fugit: hic maledicit, & hi pendent: redit: est pax.
21. 22.
Progeniem tradit Saulis; vincitque canitque.
23. 24.
Ultima verba; viri fortes: fit & optio pestis.

III. REGUM.

Cap: 1. 2.
Casta fovet; Salomon Rex, pœnas sumit inultas.
3. 4.
A Domino sapiens, justus divesque potensque.
5. 6. 7.
Suppeditante Tyro extruitur templum Domusque.
8. 9.
Dedicat orando: Domino servire jubetur.
10. 11.
Miratur Regina Saba: is delirat amore.
12. 13.
Scissum est Regnum, & Relligio; missusque Propheta
14. 15.
Jeroboam Nadab: at Roboam atque Abiam excipit Asa.
16. 17.
Bäasa, Ela & Zambri: Amri, Achab: Eliæ alma potestas.
18. 19.
Occurrit, mactat jugulat: fugit ingemit, ungit
20. 21. 22.
Victor Achab, lapidat Naboth, perit ore Michææ.

AHias & Addo scripserunt res gestas Salomonis, ut habetur in secundo libro Paralipomenon cap: 9. sive sint eæ, quæ narrantur in tertio libro Regum, sive res aliæ. Quis autem scripserit reliqua, quæ habentur in libro tertio Regum post caput undecimum, & in toto quarto, & in duobus libris Paralipomenon, non est omnino certum, sed credibile est scripta fuisse à Sacerdotibus, & Prophetis illorum temporum.

IV. REGUM.

Cap: 1. 2.
Ochosias cadit, Eliæ succedit Eliseus.
3. 4.
Tres Reges superant Moab: patrat ille stupenda.
5. 6. 7.
Lepra perit: ferrum: cæci urbsque famesque soluta.
8. 9. 10.
Hæc redit: Hazael, & Jehu ultrix dextera sævit.
11. 12.
Athaliam Joas necat: instauratque, peritque.

Rex

13. 14.
Rex Joachaz, Joasque Syrum, Amasiamque repressit.
15. 16.
Azarias, Joathan [Phacea & Phacee] impius Achaz.
17. 18. 19. 20.
Hi servi: Ezechias liber, de morte reductus.
21. 22. 23.
Post Manassem & Amon, Josias pius, audit & implet.
24. 25.
Sedecias Joachim excipit: Urbs templumque cremantur.

1. PARALIPOMENON.

Cap: 1. 2. 3.
Adæ Abrahæque genus: nati Jsrael; atque Davidis.
4. 5.
Judæ progenies: Rubenque, Gad atque Manasses.
6. 7. 8.
Deinde Levi, & tribuum sex, Benjamin indeque Saül.
9. 10.
Hi Solymam primi coluere: ruina Saülis.
11. 12.
Cum David in Jebus, hi fortes: venit Jsraël Hebron
13. 14.
Ducitur Arca: Osa dividitur: vitusque Philista est.
15. 16.
Læti deducunt Arcam: & dant cantica laudis.
17. 18. 19. 20.
Ædificare volens, nunc hos, nunc vincit & illos.
21. 22. 23.
Offendit numerans: opus en, templique Ministri.
24. 25. 26. 27.
Uncti: Cantores: Custodes, atque Tribuni.
28. 29.
Ædificate: Deo servite: oblataque ferte.

2. PARALIPOMENON.

Cap: 1. 2.
Sacrificat, sapiens Salomon: dein providet aris.
3. 4.
Extruitur Templum: Templi quoque cuncta supellex.

Col-

5. 6. 7.
Collocat Arcam: orat Salomon: sacra devorat ignis.
8. 9.
Inclytus & dives: famâ sapientia major.
10. 11. 12.
Distrahitur, Regnum: cultusque Dei, Urbs quoque capta est.
13. 14. 15. 16.
Vincunt Abia & Asa pius: reprehenditur iste.
17. 18. 19. 20.
Josaphat, & pius, & justus, prece dissipat hostes.
21. 22.
Crudelis Joram languens perit: Ochosiasque.
23. 24. 25.
Et bonus atque malus Joas perit: Amasiasque.
26. 27. 28.
Lepra ex incenso: Joatham pius: Impius Achaz.
29. 30. 31.
Ezechias litat, & celebrat Phase, & horrea condit.
32. 33.
Blasphemus perit: is peccat dein flet: perit Amon,
34. 35. 36.
Devotus Josias, Phase agit: Regnum occidit, Urbsque.

Esdras Sacerdos vixit sub Artaxerxe Rege Persarum, qui imperare cœpit anno ab Orbe condito 3521. Scripsit librum primum Esdræ, & fortasse etiam & secundum, ut censet S. Jsidorus lib: 5. originum cap: 2. probabilius tamen est secundum librum à Nehemia scriptum fuisse, qui post Esdram missus est in Judæam ab eodem Artaxerxe, cujus Pincerna erat. Libri tertius & quartus inter apocryphos computantur.

Cùm porro Sancti Patres docent Esdram instauratorem fuisse Sacrorum librorum: hoc non ita intelligendum est, [ait Bellarminus de Scriptoribus Eccl: veteris testamenti] quasi Scripturæ sacræ omnes perierint in eversione Civitatis, & Templi sub Nabuchodonosore, & ab Esdra divinitùs inspirato reparatæ fuerint, ut fabulatur Auctor libri 4. Esdræ cap: 14. sed quòd scripturas Mosis & Prophetarum in varia volumina descriptas, & in varia loca dispersas, & tempore captivitatis non diligenter conservatas, Esdras summâ diligentiâ collectas ordinaverit, & in unum quasi corpus redegerit. Vide Jrenæum lib: 3. cap: 25. Tertulianum libro de habitu mulierum, Chrys: hom: 8.
in

in epist: Hebræos. Addit S. Hieronymus in prologo galeato, Esdram invenisse novas literas hebraicas, & antiquas Samaritanis dimisisse.

I. ESDRÆ.

Cap: I. 2. 3.
Dimittit Cyrus; hi redeunt: fundatio templi.
4. 5. 6.
Hi turbant; animant hi; perficiuntque, litantque.
7. 8.
Esdras Rege volente venit; via prospera cedit.
9. 10.
Post Esdræ lacrymas, expellitur extera conjux.

2. ESDRÆ.

Cap: I. 2. 3. 4.
Orat Nehemias; venit, ædificatque, repellit
5. 6. 7.
Usuras vetat intrepidus, populumque recenset.
8. 9. 10.
Legem plebs audit; laudant, dein fædera signant.
11. 12. 13.
Pars habitat Solymam; cantant & Sabbatha servant.

HIstoria Tobiæ, & Judith incidit in tempus Prophetarum minorum, videlicet Nahum & Habacuc. Tobias senior cum Tobia juniore translatus fuit in civitatem Ninive à Rege Assyriorum Salmanasar, & perseveravit, usque ad aliquot annos Sennacherib Successoris ejus. Contigit autem captivitas illa anno sexto Ezechiæ Regis Juda, qui fuit nonus Oseæ Regis Jsrael, & ab Orbe condito 3264. Quis fuerit Auctor libri Tobiæ, non est omnino certum, sed credibile est Auctorem fuisse Tobiam juniorem, vel seniorem, siquidem Angelus Raphael cap: 12. jussit, ut Tobias uterque enarrarent, sive [ut habetur in textu Græco] scriberent omnia mirabilia Domini, quæ ipsi viderant, patientiam videlicet Tobiæ Senioris, & consolationem magnam, quam à Deo per Angelum Raphaelem accepit. Itaque scriptus videtur liber anno mundi 3252. mortuo Sennacherib. Porro liber Tobiæ scriptus

est

est Chaldaicè non Hebraicè, & ideo fortasse ab Hebræis non agnoscitur pro libro Sacro. Transtulit eum in linguam latinam S. Hieronymus, ut ipse testatur præfatione in Tobiam, & ab Ecclesia Catholica inter Sacros libros numeratum fuisse cognoscimus ex Concilio tertio Carthaginensi, ex Jnnocentio primo in epistola ad Exuperium, ex Gelasio primo in decreto de Scripturis sacris, ex Cypriano in ser: de Eleemosyna, ex Ambrosio in lib: de Tobia, ex Basilio in Oratione de avaritia, denique ex Concilio Trident: sess: 4. Summam ejus sequens exhibet versus.

Cap: 1. 2. 3.
Tobias pius, ac Cæcus gemit, orat & illa.
4. 5. 6.
Dat nato monita; & Raphaël comitatur euntem.
7. 8. 9. 10.
Nubit, & ambo orant; recipit, gemit hæc; valedicunt.
11. 12. 13. 14.
Hic videt, & Raphaël abeunte, prophetat, obitque.

QUando contigerint, quæ narrantur in libro Judith, maxima quæstio est: alii enim volunt ea contigisse post captivitatem Babylonicam, quia in primo capite fit mentio Regis Nabuchodonosor: alii volunt contigisse ante captivitatem illam: sed post captivitatem decem tribuum, quæ facta fuit tempore Ezechiæ Regis Juda, & quamvis tam hi Auctores quàm illi varient circa tempus præcisum: Bellarmino tamen videtur non posse assignari aliud tempus. quam inter duas captivitates, tempore videlicet Regis Juda Manasse, et Regis Assyriorum Merodach Baladam, quem putat alio nomine dictum fuisse Nabuchodonosor, qui regnavit etiam in Babylonia. Tempus itaque hujus historiæ erit Annus Mundi termillesimus ducentesimus septuagesimus. Quis Auctor fuerit hujus libri, incertum est ex sententia S. Jsidori lib: 6. orig: cap: 2. Si fidem habemus Josepho in libro primo contra Appionem, Auctor libri Judith est Eliachim, qui alio nomine dicebatur Joachim, Sacerdos magnus Hebræorum, de quo fit mentio in libro Judith cap: 4. & 15. Scribit Josephus in more positum fuisse apud Ægyptios & Babylonios, & potissimum apud Hebræos, ut res gestæ publicè scribendæ

com-

committerentur Sacerdotibus Magnis: tempore autem Judith Sacerdos Magnus erat Eliachim. Liber hic, quamvis ab Hebræis & hæreticis modernis rejiciatur ex Canone Scripturarum divinarum, tamen Concilium Nicænum primum hunc librum retulit in Numerum librorum divinorum, teste S. Hieronymo præfatione in Judith. Quod idem fecerunt Concilium tertium Carthaginense cap: 47, & Tridentinum ses: 4. & Decretum Gelasii primi de scripturis Sacris, & Epistola decretalis Innocentii primi ad Exuperium & S. Augustinus, & Isidorus, & Cassiodorus, & alii Patres. Vide Bellarminum de Scriptoribus Ecclesiasticis. Recenset hic liber victoriam divinitus reportatam ab Hebræis contra Holofernem, Principem militiæ Assyriorum, per virtutem nobilissimæ, & castissimæ fæminæ Judith viduæ, cujus Summam sequens exprimit carmen:

J U D I T H.

Cap: 1. 2. 3.
Assyrio Regi, vastans dux omnia subdit.
4. 5.
Israël opponit se: Achior Domini acta recenset,
6. 7.
Traditur hic populo: tum Bethuliam obsidet hostis
8. 9.
Offert se Judith; Osiam reprehendit, & orat.
10. 11. 12.
Egressam dux alloquio mensaque recepit.
13. 14.
Truncat, abit, caput ostentat, trepidantque stupentque,
15. 16.
Hebræi Assyrios spoliant: dat Cantica victrix.

DE tempore historiæ Reginæ Esther, magna est inter Scriptores controversia. Sententia Josephi Hebræi lib: 11. Antiquitatum cap: 6. Nec non Severi Sulpitii lib: 1. de Sacra historia, Nicephori Constantinopolitani in Chronico, & aliorum multorum, quos sine nomine refert Eusebius in Chronico, non displicet Bellarmino. Juxta hanc sententiam Esther nupsit Assuero Artaxerxi Longimano anno ejus septimo, qui indicit in annum mundi 3528, quo eodem tempore floruit Esdras; atque hac de causa Sanctus Isidorus Lib: 6. Orig: cap: 2. docuit Auctorem
Libri

Libri Esther esse Esdram; sed multo probabilius est Auctorem fuisse Mardochæum patruum, & nutritium ipsius Esther, & qui illi semper adfuit, & res gestas omnium optimè novit.

ESTHER.

Cap: 1. 2.
Post epulas Vasthi rejecta; locum occupat Esther.
3. 4.
Edictum mortis, luget Judæus & orat.
5. 6.
Rex, Regina, & Aman; parat iste crucem, hic dat honores.
7. 8.
De mensa ad crucem Aman, populo fert nuntia læta.
9. 10. 11.
Hi perimunt hostes: præsignat somnia factum
12. 13. 14.
Insidiæ, edictumque; hic orat, plangit & ista
15. 16.
Ad Regem ingreditur: contraria epistola fertur.

Job, ad miraculum usque Sanctus, & doctus, ante Moysem vixit. Nam ex sententia Græcorum, & multorum Latinorum, fuit tertius ab Esau, & quintus ab Abraham. Moyses autem fuit, quartus à Jacob, & sextus ab Abraham, sed ex sententia Hebræorum & S. Hieronymi, in quæstionibus hebraicis, Job non descendit ab Esau, sed à Nachor fratre Abrahæ, & fuit tertius à Nachor, ac per hoc multo antiquior Moyse; quod etiam ex ætate colligitur. Job enim vixit centum quadraginta annis post plagas, ut dicitur in fine libri, & antea vixerat multos annos, cùm septem filios & tres filias genuisset. S. Jsidorus in libro de vita & morte Patrum cap: 24. Scribit Job vixisse 248. annos, ad quam ætatem tempore Moysis nemo perveniebat. Auctorem libri Job S. Jsidorus lib: 6. orig: cap: 2. scribit fuisse Moysem, aut ipsum Job, aut alium ex Prophetis. Et quidem non pauci contendunt, Auctorem libri fuisse Job, sed non pauciores volunt fuisse Mosem; Bellarmino utraque sententia videtur bona, si dicatur ab ipso Job fuisse annotatas res, ejus gestas lingua Arabica, sed à Moyse fuisse postea ex Volumine Job compositum librum, quem nunc habemus lingua hebraica, addito principio & fine, id est additis illis verbis: Vir

erat

erat in terra Hus nomine Job, simplex et rectus, & timens Deum, & recedens à malo, & adfinem addita morte ipsius.

J O B.

Cap: 1. 2.
Job natis, opibusque cadens, stat in ulcere victor.
3. 4.
Se natum queritur; senior reclamat amicus.
5. 6. 7.
Sæpe nocens perit; ac justus patiturque, miserque est.
8. 9. 10.
Si miser es, Deus est justus, fortisque benignus.
11. 12.
Nemo Deum ignorare potest, comprehendere nemo.
13. 14. 15.
Spes & vita Deus, flos est homo, ventus, arundo.
16. 17.
Non verba hæc; mors sola potest lenire dolorem.
18. 19.
Impius est aliis, justusque, sibique, Deoque.
20. 21. 22.
Aut malus infelix, aut victima, tu resipisce.
23. 24. 25.
Nulla latent fugiuntque Deum; ipsi nullaque munda.
26. 27.
Hunc Cælum pavet, hunc timui, hunc gens horret iniqua.
28. 29. 30.
Ecce timor Domini Sapientia: quàm alter ab illo.
31. 32.
A puero pius et bonus: ah! nunquamne reponam?
33. 34. 35.
Semperne injustus, blasphemus, & impius, audax?
36. 37.
Percutit ut sanet; faciens miracula solus.
38. 39. 40.
Disce Deum ex opere; hunc animantia muta loquuntur.
41. 42.
Terribilis Behemoth: recipit Job pristina dupla.

DAvid Rex & Propheta regnare cæpit anno mundi 2919. & regnavit annis 40. ut scribitur libro 3. Reg: cap: 4. Scripsit librum Psalmorum centum quinquaginta. Quamvis S. Hilarius præfatione in Psalmos, & S. Hieronymus in

in epistola ad Cyprianum velint Psalmos esse compositos ab Auctoribus, qui nominantur in titulis, ut à Mose, Salomone, Asaph, Chore, Jdithum: tamen probabilior sententia est S. Chrysostomi, Theodoreti, Cassiodori, Euthymii & aliorum, & S. Augustini lib: 17. de civitate Dei cap: 14. qui docent omnium Psalmorum Auctorem fuisse Davidem; qui non solùm Propheta erat eximius, sed etiam Poeta venustissimus, & doctissimus, & scientiam habuit historiæ Sacræ, legum Divinarum, moralis & naturalis Philosophiæ, quæ omnia in Psalmis meritò apparent; Extat quidem psalmus brevis extra numerum centum quinquaginta Psalmorum, sed apocryphus est, quia Concilium Laodicenum cap: ultimo & Trident: sess 4. non ponunt in canonem Scripturarum nisi Psalmos 150. quos summatim sequenti accipe versu:

PSALMORUM.

Psal: 1. 2.
Felix legis amans Domini; frustraque repugnant.
3. 4.
Orat sic vincit: faciendum hoc suadet & hosti.
5. 6.
Vult mala perversis: salvatus despicit hostes.
7. 8.
Sit Deus ut Judex illi: illum laudibus effert.
9. 10. 11.
Persolvit grates: fiditque Deo, cum homo fallax.
12. 13. 14.
Defendat, veniat Christus: Sint æthera justo.
15. 16. 17.
Conserva Domine, exaudi; te diligo semper.
18. 19. 20.
Enarrent cæli; de Sancto vita: salusque.
21. 22.
Respice despectum, veniunt à Numine quæque.
23. 24. 25.
Imperat & terræ, salvans, & judicat omnes.
26. 27. 28.
Nil timet, insidias: ad laudes provocat omnes.
29. 30. 31
Faucibus ereptus, confidit, fitque beatus.
32. 33. 34.
Exultent justi, laudent: Deus opprimat hostes.

35. 36. 37. 38.
Injustum non æmulor : obsecro , parce petenti.
39. 40. 41.
Multa facit Dominus ; conservat , qui cupit illum.
42. 43. 44. 45.
Tristis ob exilium , plangit , tum succinit , Alto.
46. 47. 48.
Plaudite terrigenæ : magnus Dominus ; pia gens sit.
49. 50. 51.
Coelum de sursum , peccavi : destruet & te.
52. 53. 54.
Declinaverunt ; salva , mors sit super illos.
55. 56. 57.
Confringas populos , & me eripe , contere dentes.
58. 59. 60. 61.
Eripe , lætabor ; Deus audi , sisque saluti.
62. 63. 64. 65. 66.
Exul ; protectus ; cantat , veniant , benedicant.
67. 68. 69. 70.
Exurgat , salvum faciat , juvet , auxilietur.
71. 72. 73.
Judicium Regi , probus improbus , ira furorque.
74. 75. 76. 77.
Judex , terribilis , clamavi , attendite legem.
78. 79. 80. 81.
Opprobrium , intende , exultate Deo , Deus adstat.
82. 83. 84.
Pone rotam illos : quàm dilecta domus tua , parce,
85. 86. 87.
Exaudi ; Dominus narrabit : me mala vexant.
88. 89. 90.
Semen in æternum , amplius est nihil : nihilque timebo.
91. 92. 93.
Est rectus Dominus : Dominus regnavit , & ultor.
94. 95. 96. 97.
Rex magnus , cantate , exultat terra , canatque.
98. 99. 100. 101.
Excelsus Dominus ; scitote : benignus , & audit.
102. 103. 104. 105. 106.
Longanimis , magnus , memor , & bonus : ipse juvabit.
107. 108. 109. 110.
Psallam si salvas ; pereat , dominare ; tibi laus.
111.
Justus in æternum , peccator tabe peribit.

Quis

112 113.
Quis sicut Dominus ? mare quid tibi ? quid fugis ergo ?
114. 115. 116.
Eripuit de morte; colam illum ego : laudet & omnis.
117. 118.
Laus mea sit Dominus ; lex sit mea portio dixi.
119. 120. 121. 122.
Heu mihi ! tu auxilium , lætatus sum , miserere.
123. 124. 125.
Contritus laqueus ; confidite , gaudia certa.
126.
In vanum ædificas , si non custodiet ille.
127. 128.
Qui timet , ille beatus erit ; benedictio tali.
129. 130.
Ad te clamavi : exaltatum cor mihi non est.
131.
In requiem Domine , in requiem tu ; surgat & Arca.
132.
Quàm ecce bonum est , & jucundum , dum habitatur in unum.
133. 134. 135.
Nunc benedicite , laudent , confiteantur & omnes.
136. 137. 138.
Flevimus , audîsti : cognovisti , atque probâsti.
139. 140. 141.
Eripe , custodi , dum clamo voce mea ad te.
142.
Servus ego tuus , axaudi velociter ergo.
143. 144.
Protector meus exaltabo te , & benedicam.
145. 146.
Non in Principibus confido , tu mea virtus.
147. 148. 149.
Tu satias , te omnes laudent , tibi cantica dicant.
150.
Tympana cum Citharis , cum chordis , te omnia laudent.

SAlomon Rex , Davidis Regis filius , regnare cæpit anno mundi 2959. & regnavit annis 40. ut scribitur Reg: lib: 3. c. 11. scripsit sine ulla controversia libros tres , Proverbia , Ecclesiastem & Cantica Canticorum. De libro Sapientiæ nonnulla quæstio est , nam non habetur in Codicibus Hebraicis , sed solùm in Græcis , & Philoni adscri-

bitur Judæo, teste S. Hieronymo præfatione in Proverbia Salomonis; Sed tamen à Veteribus Patribus communi consensu hic liber tribuitur Salomoni. Vide Bellarminum de Scriptoribus Eccl: Ipse Auctor Libri Sapientiæ cap: 9. testatur se fuisse Regem in Israël, & sibi à Domino imperatum, ut Templum ædificaret, quæ in Salomonem propriè conveniunt. Hæc discordia facilè conciliabitur, si dicatur sententias hujus libri esse Salomonis, sed collectas in unum Volumen & græcis verbis expressas à Philone, non illo, qui tempore Caji Imp: floruit, sed alio antiquiore. Josephus lib: 8. antiquitatum cap: 2. refert à Salomone scriptos fuisse libros Odarum & Carminum supra mille, & Parabolarum libros ter mille. Item scriptas ab eo fuisse incantationes, quibûs morbi curantur & dæmones pelluntur, Quæ videntur parum veri similia, sed sivè sint vera, sivè falsa, certum est ea hoc tempore non extare, & fortasse ex verbis Josephi occasionem acceperunt aliqui perditi homines tribuendi Salomoni librum pernitiosissimum, qui inscribitur Clavicula Salomonis.

PROVERBIORUM.

Cap: 1. 2. 3.
Si timeas Dominum, sapiens, divesque, beatus.
4. 5. 6.
Impietas, Meretrix, fugiendaque adultera conjux.
7. 8. 9.
Scorta cave; sapientiam ama; quæ clamitat ad te.

PARABOLARUM.

10. 11.
Quanta bona hinc sapiens; quanta hinc incommoda stultus!
12. 13.
Consiliis ille agit senum; hic temerè omnia tentat.
14. 15.
Ille timet, mala declinans; hic transilit audax.
16. 17. 18.
Pacificus tacet ille; loquax, hic jurgia miscet.
19. 20.
Pigritiamque fames; & opes sectantur amici.
21. 22.
Semper inops piger; & qui pinguia quærit egenus.

Ca-

23. 24.
Castiga puerum, stulti consortia vita.
25. 26.
Duritiem frangit patientia; mitigat iras.
27. 28.
Blandimenta nocent; & amici vulnera prosunt.
29. 30. 31.
Nec paupertatem, nec opes; largire necessum.

ECCLESIASTES.

Cap: 1. 2. 3.
Omnia vana; dolorque animi; ac vexatio mentis.
4. 5. 6.
Utere divitiis: miser est, qui his abstinet uti.
7. 8. 9.
Sunt bonæ opes, melior sapientia, at optima virtus.
10. 11. 12.
Omnibus æqua cadunt: bene fac, Dominique memento.

CANTICI CANTICORUM.

Cap: 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8.
Quantus amantis amor, amor est & tantus amati.

SAPIENTIÆ.

Cap: 1. 2. 3.
Dilige justitiam: perit impius, emicat insons.
4. 5.
Gloria justorum, tremor est & pæna malorum.
6. 7 8. 9.
Major supplicium majus, sapientia ab Alto.
10. 11.
Justos servavit; peccantes perdidit illa.
12. 13.
Justus, sed melior Deus, idololatria vana.

14. 15.
Stultitiæ est opus idolum, stultique colentes.
16. 17.
His bona luxque; his tormenta horribilesque tenebræ.
18. 19.
Illis obsequitur flamma & mare, corripit istos.

JEsus Sirach Auctor est libri hujus, qui dicitur Ecclesiasticus, vixit tempore Ptolomæi Evergetis, Regis Ægypti, ut ipse testatur in præfatione ad librum suum: ipse autem se nominant Jesum Sirach in fine capitis quinquagesimi. Hunc Sacrum librum hæretici recentiores contemnunt, sed eum ut Divinum & Sacrum agnoscunt Patres Concilii Carthaginensis tertii cap: 47. & Trident: sess: 4. Item Pontifices Innocentius in epist: ad Exuperium & Gelasius in Decreto de libris Sacris. Item Sanctus Augustinus de doctrina Christiana libro 2. cap: 8. Epiphanius in hæresi Anomæorum. Cyprianus Libro tertio epistola 9. Clemens Alexandrinus Libro septimo Stromatum & alii.

ECCLESIASTICI.

Cap: 1. 2.
Principio Dominum time, ama, fer, credito, spera.
3. 4.
Sit carus genitor: misero succurre petenti.
5. 6. 7.
Peccatum citò, amicum & matrem desere nunquam.
8. 9. 10.
Lites, & mulier, fugiendaque gloria vana.
11. 12.
Et memorare bona & mala; nec credas inimico.
13. 14. 15.
Dites & cupidos fuge; ama consortia justi.
16. 17.
Filius aut bonus aut nullus: peccata relinque.
18. 19.
Non cesses laudare Deum, vinumque caveto.
20. 21. 22.
Lingua Malum est; scelus est coluber, thesaurus amicus.
23. 24.
Gloria magna sequi Dominum. Sapientia se effert.

Qua-

25. 26. 27.
Quale malum mulier mala ! ama bonam, & abdita serva.
28. 29.
Vindictam linguamque malam fuge : sisque fidelis.
30. 31. 32.
Pestis tristitia & gula ; musica cordis amica.
33. 34.
Præcellens esto ; & retine tua : somnia vana.
35. 36.
Sacrifica justus ; da gaudens : contere gentes.
37. 38.
Tecum consiliare silens , mortisque memento.
39. 40.
Nomen habet sapiens : morti par turpis egestas.
41. 42. 43.
Mortem non metuas : Domini memor , astrue laudes ,
44. 45.
Enoch , Nöé , Abraham , Moyses , Aaron , Phineesque ,
46. 47.
Nave , Caleb , Samuel : Nathan , David , Salomonque
48. 49. 50. 51.
Zelantesque , piique , Prophetæ : Te quoque laudo.

ISaias , filius amos , inter quatuor majores Prophetas primus è regali genere [ita Hebræi & alii post eos volunt] Si verum est, Amos ipsius Patrem filium fuisse Regis Joas , & fratrem Amasiæ Regis Juda. Scripsît librum magnum , imo etiam majorem quàm ullus alius Propheta & scripsit ante omnes alios Prophetas majores.

Dicuntur Prophetæ majores , qui singuli suas scripserunt libros integros , minores autem dicuntur illi , quorum Prophetiæ omnes simul , unico libro apud Hebræos continentur. Fuit ex tribu Juda , vir facundissimus , ut ex ejus volumine quivis intelligere potest. Scripsit de adventu Christi ; de nativitate ejus ex Virgine , de vita , de prædicatione , de regno , de miraculis , de passione , de sepultura , de aliis ejus mysteriis , ut Evangelista potius quam Propheta fuisse videatur ; scripsit etiam de vocatione gentium , & de gloria Ecclesiæ plane admirabiliter. Obiit sub Manasse Rege filio perditissimo Esechiæ Regis optimi ; jussu ejusdem Manasse sectus in duas partes crudelissimo supplicio , ut Epiphanius testatur in libro de vita

ta & morte Prophetatum ; sed Deus eodem Auctore Epiphanio, sepulchrum ejus gloriosum miraculîs reddidit.

ISAIÆ.

Cap: 1. 2.
Gens ingrata, offers male: Lex de monte Sionis.
3. 4. 5.
Rex puer ; & Germen Domini : plebs vinea amara.
6. 7. 8.
Majestas Domini ; Virgo paritura : ruina hic.
9. 10.
Parvulus est natus : væ qui leges dat iniquas.
11. 12. 13.
Flos de Jesse : Deus Salvator ; onus Babylonis.
14. 15. 16. 17.
Contrita est Babylon, Philista, Moabsque, Damascus.
18. 19. 20.
Ægyptus ruit: Æthiopes capientur ab Assur.
21. 22.
Cum Babylone Arabes, Seir, urbs epulansque peribunt.
23. 24.
Post casum surget Tyrus : Orbis amara ruina.
25. 26. 27.
Ecce Deus noster ; Salvator crimina tollet.
28. 29.
En lapidem in Sion mittet, vobisque soporem.
30. 31.
Ægypti vanum auxilium, ipsa & corruet Assur.
32. 33. 34. 35.
Rex justus : væ prædanti, Edomque : invia laudans.
36. 37 38. 39.
Sennacherib perit : Ezechiæ dat signa salutis.
40. 41.
Vox in deserto ; Deus omnia, nil Simulacra.
42. 43.
En servus meus electus : Salvator ego sum.
44. 45.
Præter me non est Deus : o rorem date coeli.
46. 47. 48.
Idola & Babylon vana : ipse ego & Omega & Alpha.
49. 50.
En datur in lucem populi : Synagoga repulsa.

51. 52. 53.
Lætitia in Sion, ecce adsum: fert ipse dolores.
54: 55. 56.
O sterilis lætare, ad aquas propera: advena felix.
57. 58.
Sunt Idololatræ miseri: hæc jejunia nulla.
59. 60. 61.
Est bonus estque potens: lux, gloria & unctio Christi.
62. 63. 64.
Inclytus adveniet: cruor unde? utinam ardeat ignis.
65. 66.
Ecce ego, ego ad Gentes: lætare Ecclesia Christi.

JEremias Propheta secundus ex majoribus, fuit ex genere Sacerdotali, vir mitissimus & Sanctissimus, in ipso matris utero Prophèta destinatus est, decimo quarto ætatis suæ annô primò Deum se alloquentem audivit, ac præcipientem, ut ad Reges, Principes, & Sacerdotes sua jussa refferret, quod ille munus, objecta ætatis & linguæ imbecillitate nequicquàm deprecatus est. Cum autem illum Deus ad ministerium Prophetiæ primò evocaret, simul illi ea, quæ sibi à Judæis inferenda erant, mala ostendit, opem tamen suam pollicitus est, qua contra Reges, Principes & populum Judæ, muro æneo firmior redderetur, post multos itaque labores & angustias lapidibus obrutus ab ingrato populo, vitam cum morte commutavit.

Scripsit vel dictavit insigne vulumen, in quo populum & Principes ejus ad pænitentiam multis sermonibus hortatus est, prædixit imminentem ruinam Hierusalem, & Templi Domini, & totius regni, prædixit multa de Christi adventu, de Testamento novo, deque aliis Christianis mysteriis apertissimè, ad finem libti sui addidit threnos, id est: lamentationes carmine scriptas, ordine alphabetico, quibus deplorat ærumnas gentis suæ corporales, & spirituales, addidit denique epistolam ad populum captivum in Babylone, quâ hortatur illos, ut in fide veri Dei persistant, & ab idolorum cultu se abstineant, quam epistolam posuit Baruch in extremo libro suo.

JEREMIÆ.

Cap: 1. 2.
Ex utero Sanctus loquitur: cur Juda rebellis?

Ju-

3. 4. 5.
Juda redi, bellum effugies, quod jam imminet urbi.
6. 7.
Ex aquilone malum : non verba, sed actio salvat.
8. 9.
Dives, avarus, egens, mendax, assumite luctum.
10. 11. 12.
Nil coelum aut idola : malis mala : cur bene iniquo ?
13. 14. 15.
Ut lumbare in aqua, ne ores: nulla prece flectat.
16. 17.
Hîc tibi nulla uxor : bene erit si Sabbatha serves.
18. 19. 20.
Ut figulus Dominus : dat fracta laguncula nervum.
21. 22.
Peste, fame, ense ruent : tumulo Regesque carebunt.
23. 24.
Ecce David germen justum : en bona, & en mala ficus.
25. 26.
Abducet Babylon : ferè dat prædictio mortem.
27. 28. 29.
Vincula mittit, & Hannaniæ, variisque minatur.
30. 31.
Vincula disrumpam ; à longè populumque reducam.
32. 33.
Agrum emit, & datur æterni promissio pacti.
34. 35.
Rex capietur & urbs : melius parent Rechabitæ.
36. 37. 38.
Flamma librum, carcerque, lacusque habûere Prophetam.
39. 40. 41.
Urbs capitur, Rexque : huic datur optio : perfidus iste.
42. 43.
Obsistente Deo, ad Pharaonis limina tendunt.
44. 45. 46.
Arguit hos frustra ; hic queritur malè : corruit illa.
47. 48. 49.
En mucro Domini, in Moab, Seir, Ammon, & Aelam.
50. 51. 52.
Et ruet à Medis Babylon, quæ destruit urbem.

THRENI.

Cap: 1. 2.
Urbs templum, Virgo, juvenes periêre senesque.

Omnia

3. 4. 5.
Omnia sunt cinis : oprobrium tu respice nostrum.

BAruch minister, & amanuensis Jeremiæ, præter ea, quæ scripsit Jeremia dictante, ut colligitur ex cap: 36. Jer: scripsit proprium volumen, quinque capitibus comprehensum; nam sextum est epistola Jeremiæ, prædixit apertissimè Dei Incarnationem, & apparitionem in carne humana.

BARUCH.

Cap: 1. 2.
Ex Babylone legunt librum : ac peccata fatentur.
3. 4.
In terris visus Deus est; animæquior esto.
5.
Exue te luctu : esse Dii haud Idola probantur.

EZechiel tertius ex majoribus Prophetis, ipse quoque fuit de genere Sacerdotali, vir optimus & Sanctissimus, prædicabat concaptivis suis, eosque ad virtutem hortabatur, sed mercedis loco ab ipso Principe populi sui obtruncatus occubuit. Prædixit reversionem populi ad propria loca, & de adventu Domini & baptismo aliisque Christi mysteriis, multa; sed obscurè, maximè de structura Templi, vaticinatus est.

EZECHIELIS,

Cap: 1. 2.
Captivus vidi, obstupuique : animosque resumpsi.
3. 4.
Jussus librum edere, & vigilare, & utrinque cubare.
5. 6.
Ure pilos, disperge, seca : ensis, pestis, egestas.
7. 8.
Finis adest; simulacra in templo, & Adonidem adorant.
9. 10.
Interimunt non signatos Thau : dat Cherub ignem.

His

11. 12.
His non parcam, horum miserebor: moxque migrabunt.
13. 14.
Væ promittenti pacem; & fidentibus illi.
15. 16. 17.
Vitises, o Meretrix: aquilis isti æquiparantur.
18. 19.
Quisque feret sua: adæquatur Rex Juda Leoni.
20. 21.
Non respondebo: feriet Solymam ensis, & Ammon.
22. 23.
Urbs polluta omni scelere: Oollaque, & Oolliba prostant.
24. 25.
Olla, uxor sine luctu: cum sociis ruet Ammon.
26. 27. 28.
Inclyta merce, mareque Tyrus cadet; ipseque Princeps.
29. 30.
Tuque rues magne Ægypti Draco; terraque tota.
31. 32.
Sublimis quamvis Pharao; descendet ad ima.
33. 34.
Qui vigilat caveat; Pastor bene pascat ovile.
35. 36.
Mons Seir ecce cades: mons Israël ecce resurges.
37. 38. 39.
Ossa revivisiscut: Gog victor, deinde sepultus.
40. 41. 42.
Urbis monstratur, Templi quoque forma futuri.
43. 44.
Templum majestate sacrum; sanctique Ministri.
45. 46.
Terræ divisio: Festorum oblatiò, portæ.
47. 48.
De Templo egrediens aqua: Terræ hic terminus esto.

DAniel quartus ex Prophetis majoribus, abductus est in captivitatem adhuc puer, & perseveravit in captivitate usque ad Cyrum Regem Persarum, id est usque ad finem captivitatis. Fuit de tribu Juda, vir nobilis & spiritu sapientiæ & prophetiæ plenissimus; atque ea de causa gratissimus Regibus etiam Idololatris, & ab eis magnîs honoribûs cultus. Scripsit multa de Christo & de tempore adven-

adventûs ejus, nec non de Matre ejus, & de excæcatione Judæorum. Item de antichristo & præliis ejus. Prædixit progressum quatuor Regnorum præcipuorum, seu Monarchiarum Chaldæorum, Persarum, Græcorum, & Romanorum, seu potius Seleucidarum & Lagidarum, & de bellis futuris inter Græcos & Persas, & inter successores Alexandri magni, tanta perspicuitate, ut aliqui putaverint, sed falsò, ea scripta fuisse multo posterius, quàm revera fuerint. Liber hic partim Hebraicè, partim Chaldaicè scriptus est, didicit enim Daniel in Babylone jussu Regis linguam & literas Chaldæorum. Diem inter Chaldæos clausisse creditur.

DANIELIS.

Cap: 1. 2.
Jejunus luget Daniel: secreta revelat.
3. 4.
Tres pueri in flamma benedicunt: bestia fit Rex.
5. 6.
Scripturam solvit Daniel: 'parcuntque Leones.
7. 8.
Regna feris quatuor signantur; & ariete, & hirco.
9. 10.
Oranti hebdomades monstrantur: visio terret.
11. 12.
Reges venturos, & finem prævidit orbis.
13. 14.
Casta Susanna: Bel, atque Draco; ceduntque Leones.

OSee filius Beeri, duodecim minorum Prophetarum primus, prout minores Prophetæ suam classem faciunt, secundum enim ordinem temporis primus omnium, etiam majorum Prophetarum est, prophetavit namque, ut ipse testatur, in diebus Oziæ, Joatham, Achaz, & Ezechiæ Regum Juda, & in diebus Jeroboam filii Joas Regis Israel. Fuit Osee de tribu Isachar, ut Epiphanius testatur, & jussu Domini accepit uxorem fornicariam, ut significaretur fornicatio populi per Idololatriam à Deo: & propter hoc peccatum prædicit captivitatem decem tribuum, & deinde captivitatem etiam aliarum duarum tribuum, quæ facta est per Nabuchodonosor.

OSE-

O S E E.

Cap: 1. 2. 3.
Accipe de Meretrice genus : redi, adultera sponsa.
4. 5. 6.
Criminibus manet ultio : dat tribulatio sensum.
7. 8. 9.
Curari renuunt ; ideo addam vincla, famemque.
10. 11. 12. 13. 14.
Serviet Assyriis Ephraim, de morte redibit.

JOel Phatuelis filius, ex tribu Ruben, in Regno Judæ vaticinatus est post decem tribuum captivitatem & regni Israelis eversionem ; prædixit porro duabus tribubus, quibus propriè Propheta datus erat à Deo, Babylonicam captivitatem, easque ad pænitentiam hortatur ; & in extremo vaticinio prædicit adventum Messiæ & Spiritus Sancti per eum mittendi, & ultimi judicii diem. Obiit in pace.

J O E L I S.

Cap: 1. 2. 3.
Plangite, siindite corda : effusio Spiritus : iræ.

AMos ex Urbe Thecue in tribu Juda, quatuor leucis ab Jerusalem versus meridiem ; prædixit captivitatem, & alia gravia flagella, & gravissimé in scelera invectus, à filio Amasiæ Sacerdotis fuste inter tempora percussus interiit, ut Epiphanius testatur in libro de vita & morte Prophetarum ; nonnulli tradunt Amasiam illum Sacerdotem Bethel, qui eum coram Rege accusavit ; quod cædem Regis & captivitatem Israëlis palam prædiceret, dentes illius confringi jussisse, ut ad silendum compelleret. Ita Cyrill: præfat : in Amos.

A M O S.

Cap: 1. 2. 3.
Mittam ignem in Gentes, Judamque, ut destruat ædes.

Fru-

4. 5. 6.
Frustra percussi : heu tibi, divitibusque superbis.
7. 8. 9.
Post trullam uncinus, atque fames verbi, inde revertent.

ABdias, qui est quartus inter minores Prophetas, malè confunditur ab aliquibus cum illo, qui fuit Præfectus Domûs Achab, Regis Israël; quod si verum esset, primus omnium Prophetarum [ut ostendit Calmet] quorum scripta supersunt, haberi deberet. Bellarmino placet sententia S. Hieronymi, qui hunc Abdiam facit æqualem Oseæ, Joelis & Amos; unicum scripsit capitulum contra Idumæos, quos redarguit, quòd Judæ inimici additi; dum super Jerosolimam sortes mittebant, ad exitus viarum starent, ut eos, qui fugissent, interficerent. Prædicit reædificandam Jerusalem: domum Israël iis dominaturam, qui ipsi dominabantur; ipsam veluti ignem, Domum verò Esau velut paleam futuram: apertissimè reditum Judæ à captivitate prænuntiat; Jeremiæ stylum imitatur ac pæne verba transcribit. Obiit hic Propheta cum pace Epipaanio teste.

A B D I A S.

Cap: unic:
Hic minitatur, Edom terret, sed prospera Judæ.

JOnas Amathi filius, inter minores Prophetas quintus, Galilæus ex urbe Get opher 4. Reg: 14. 25. oriundus. Eum alii Sereptanæ Viduæ filium fuisse, vitæ ab Elia restitutum, alii Jonæ Sunamitidem illam fœminam matrem dedêre, cujus filium Eliseus ad vitam revocavit; denique alii Jonam eum Prophetam fuisse volunt, qui ab Eliseo ad Jehu missus fuerat, ut eum in Regem consecraret, hôc tamen nihil incertius. Hæc de Jona certa sunt: Ninivem pergere à Deo jussus, ut de impendenti Coeli ultione monitos ab eorum flagitiis deterreret, imperium negligens, Ciliciæ Tharsum fuga contendere conatus est; vix tamen Joppe solverat, cum Dominus procellam concitavit, ut Dei sui opem implorantes, onera levandæ navi Nautæ pro-

projecerint, interea in ima navi dormientem Jonam Gubernator excitavit, qui & intempestivæ procellæ obnoxius sortitò deprehensus, & quis esset, quidve pratrâsset, flagitii postulatus, Hebræum se Domini cultorem, & Prophetam, & ne ad Ninivitas conciones haberet, profugum, fassus est; quare rogavit, seipsum in mare detruderent, ut navis exitium averterent, è navi itaque exturbato, illico oborta est tranquillitas. Divino factum est consilio, ut piscis immanis, quem cetum alii, alii lamiam, canem carchariam seu canem marinum putant, Jonam fluctibus obrutum hiante ore deglutiverit, eumque triduo detentum in littus tandem evomuerit, Prophetavit post hæc contra Ninivitas, & exitium illis prædixit; & quamvis agentibus illis pænitentiam, Deus pepercerit, tamen postea reversis ad iniquitatem, Deus exitium illis immisit, quod Jonas prædixit, ut habemus in libro Tobiæ cap: 12.

J O N Æ.

Cap: 1. 2.
Submersus fugiens; ceto mox esca voranti.
3. 4.
Quadraginta dies clamans tangitque, doletque.

MIchæas *Morasthites* sive è *Maresa* vico prope Eleutheropolim in plaga meridionali Juda. Quinquaginta annorum spatio sub Regibus Juda, Joathan, Achaz & Ezechia oracula fudit. Non desunt, qui præposterè hunc virum confundunt cum altero Michæa, filio Jerule, qui sub Rege Achabo in ditione decem tribuum florebat. Prædicit hic Propheta captivitatem primam decem tribuum, & secundam duarum tribuum; prædicit adventum Christi, & nativitatem in Bethleem, & conversionem gentium ad Ecclesiam Dei.

M I C H Æ Æ.

Cap: 1. 2. 3.
Samariæ, & Solymæ, injustis, & luctus avaris.
4. 5. 6. 7.
Mons Domini: Dux de Bethleêm, bona monstrat iniquis.

Na-

NAhum ex Urbe Elcesai, minimo pago in Galilæa, gesta hujus Prophetæ latent, prophetavit post abductas decem tribus in captivitatem à Salmanasar Rege Assyriorum; prædixit exitium Regis Assyriorum, & vastationem Ninive per Chaldæos, & Judæos; prædicit non prævaliturum Regem Assyriorum contra Jerusalem, sicut prævaluerat contra Samariam.

NAHUM.

Cap: 1. 2. 3.
Ulciscens Dominus, Niniven disperdet in ira.

HAbacuc de tribu Simeon, prædicit adventum Chaldæorum & Babylonicam captivitatem; prædicit etiam vastationem eorundem Chaldæorum, quæ facta est per Medos & Persas, & tandem prædicit adventum Christi, passionem, resurrectionem, & secundum adventum in gloria.

HABACUC.

Cap: 1. 2. 3.
Prævalet injustus: spolians spoliabitur: orat.

SOphonias filius Chusi, nepos Godoliæ è tribu Simeonis juxta S. Epiphanium, ejus gestotum & obitûs historia nulla superest, Propheta hic concionatur contra peccata, & hortatur ad pænitentiam, & prædicit excidium Palæstinorum, Moabitarum, Ammonitarum, Æthyopum & aliarum gentium; prædicit etiam conversionem gentium, & ruinam Idololatriæ. Denique prædicit Christi resurrectionem, Judæorum excæcationem, & exitium ultimum, & Ecclesiæ gloriam, & felicitatem.

SOPHONIÆ.

Cap: 1. 2. 3.
In Zelo Dominus veniet: Gentesque vocabit.

AGgæus decimus ex Prophetis minoribus Babylone natus creditur; qua rediit cum Zorobabele. Propheta hic à Deo excitatus est, ut Zorobabelem Principem Juda, & Jesum filium Josedech Pontificem ad Templi restaurationem diu intermissam exhortaretur. Propheta igitur eorum negligentiam redarguit, qui enim lautas sibi Domos anxiè quærebant, Domini Templum desertum, & ruinis suis sepultum relinquebant. Mala proinde, quibus à Deo post reditum vexabantur, famemque & sterilitatem ex eo ortam esse ajebat, quòd Templi instaurationem minimè curarent. Aggæi monitis excitati, anno secundo Darii, mundi 3484., decimo sexto à reditu Babylonico, Templum restaurare Judæi perrexere. Vix operi manus admota est, cum Dominus Aggæum jussit nuntiare, si quis inter ipsos primum Salomonis Templum vidisset, nec splendidum adeo hoc cerneret, ne animis caderet, aut hoc minoris quàm illud faceret, cum illustrius & venerabilius illô Templum istud, non divitiarum copiâ, sed Messiæ cunctis Gentibus desiderati præsentia, & beneficiis, quæ illis confferre statuerat, Dominus foret redditurus. De Aggæi morte nihil notum, ejus Festum Græci 16. Decembris, Latini die 4. Julii celebrant.

AGGÆI.

Cap: 1. Cur non extruitis Templum? 2. hujus gloria major.

ZAcharias minorum Prophetarum undecimus, Barachiæ filius, & Addo nepos, Babylone rediit cum Zorobabele, & anno secundo Regni Darii Hystaspis vaticinari cæpit, quem duobus tantum mensibus præcessit Aggæus; quo loco aut tempore natus sit Zacharias, ignoratur. Vaticinia sua exorditur populum hortans, ut convertatur, neve Patrum suorum invidiam imitetur, hortatur quoque populum ad ædificandum Templum, & ad timorem Domini, & obedientiam mandatorum. Prædixit multa per varias similitudines de felicitate Ecclesiæ Christianæ, & ultima perditione Judæorum. Minorum Prophetarum prolixissimus est, & obscurissimus, concisum & præcipitem stylum habet. De

Mes-

Messia clariùs & distinctiùs cæteris Prophetis vaticinatus est.

ZACHARIÆ.

Cap: 1. 2. 3. 4.
Rufus equus; mensor; Jesus, cum lampade olivæ.
5. 6. 7. 8.
Impietas, venti; jejunia; natio felix.
9. 10. 11. 12. 13. 14.
Rex, salvans, pascens, fixus, plagatus, & unus.

MAlachias postremus inter prophetas minores, cujus adeo gesta latent, ut vel de nomine ipso ambigatur; an scilicet Angelum Domini quemcunque, nuntium, aut Prophetam significet. Sub Nehemia oracula fudisse, & post Aggæum & Zachariam, vix in dubium revocatur, quo tempore cum Sacerdotum & populi Judæ mores corruptissimi essent, Malachias gravioribus verbis Sacerdotes castigat, prædicit abolitionem Sacrificiorum Judaicorum, & institutionem Sacrificii novi, quod toto orbe offerendum erat, prædixit quoque ultimum judicium, & reversionem Eliæ Prophetæ ad convertendas reliquias Israël, & præter prædictiones vehementer concionatus est adversus negligentiam Sacerdotum & alia vitia. Omnium Prophetarum Synagogæ novissimus est, quippe qui 400. circiter annis ante Christum floruerit. De ortu S. Joannis Baptistæ luculentissimè agit, obitus Malachiæ ad 14. Januarii in Martyrologio Romano consignatur.

MALACHIÆ.

Cap: 1. 2. 3. 4.
Vel bene, vel nihil offerte: ecce viam ille parabit.

LIbri Machabæorum ultimi sunt inter Sacros Libros Testamenti Veteris, sunt autem duo libri [nam duo alii inter apocryphos numerantur] quorum prior continet res gestas Matathiæ & trium filiorum ejus. Judæ Machabæi, Jonathæ, & Simonis, ab anno mundi 3822. usque ad annum 3856. Hujus libri ignoratur Auctor, sed credibile est, Auctorem fuisse Joannem Hyrcanum filium Simonis, qui rebus omnibus interfuit, & fuit summus Sacerdos post Patrem suum Simonem, & habuit vitam diuturnam & paci-

cificam in principatu annorum triginta & unius, & fuit non solùm Sacerdos & Princeps, sed etiam Propheta, ut scribit Josephus lib 13: Antiquit: cap: 16. Posterioris librî Machabæorum, qui continet historiam eandem, sed paulo altius incipit, & narrat Martyrium insigne Eleazari & septem puerorum Machabæorum, & matris ipsorum, Auctor fuit Jason Cyrenæus, qui libris quinque omnem hanc historiam comprehendit, quorum librorum epitomem solam habemus, ut dicitur libro 2. Machabæorum cap: 2.

1. MACHABÆORUM.

Cap: 1. 2.
Sacra prophanantur; legem gens Sancta tuetur.
3. 4.
Judas victor ubique; pius loca Sancta repurgat.
5. 6.
Dissipat, expugnat, cremat, hostes, oppida, turres.
7. 8. 9.
Hos fugat; his dat amicitias, moriensque triumphat.
10. 11.
Certatim Victor Jonatas, cumulatur honore.
12. 13. 14.
Fædera init, capitur: Simon inclytus undique fulget.
15. 16.
Laus parit invidiam; cum natis occidit unâ.

2. MACHABÆORUM.

Cap: 1. 2. 3. 4.
Ardet aqua, Arca, Altareque in antro: ærarium, Onias.
5. 6. 7.
Cædes, furta; Senex martyr, septenaque proles.
8. 9.
Bella gerens Judas ovat: & malè pænitet istum.
10. 11.
Instituunt festum; è Coelo victoria paxque.
12. 13.
Hos domat; offert pro defunctis: jura capessit.
14. 15.
Blasphemus perit; & Sanctus pro civibus orat.

VETERIS TESTAMENTI FINIS.

NOVUM
JESU CHRISTI
TESTAMENTUM
SEU
EVANGELIUM.

SAnctus Matthæus Apostolus primus omnium Evangelium scripsit, linguâ patriâ, id est Hebraica, testis est Sanctus Hieronymus in libro de Script: Eccl: qui etiam vidisse se & descripsisse affirmat Evangelium S. Matthæi linguâ Hebraicâ scriptum, & ante Hieronymum idipsum testati sunt Epiphanius hæresi 29. quæ est Nazaræorum, Eusebius libr: 3. histor: cap: 24. & Jrenæus lib: 3. cap: 1.

Quis in linguam Græcam transtulerit Hebraicum Matthæi Evangelium, ignorari scripsit S. Hieronymus, S. Athanasius in Synopsi scribit, à S. Jacobo Fratre Domini fuisse expositum Evangelium S. Matthæi.

Utrum illa expositio fuerit versio in Græcum ignoratur. De hoc Sacro libro nulla fuit unquam dubitatio, Summam verò ejus sequentes exhibent versus:

MATTHÆI.

Cap: 1. 2.
Jesum Virgo; Magi dant munera, tollitur Jnfans.
3. 4.
Vox & verbum ad aquas; pugnat, vincitque, triumphat.
5.
Sis Castus, mitis, fer, ama, doce erisque beatus.
6.
Clam da, ora, jejuna, aurum curasque caveto.
7.
Quodque tibi fieri nolis; ne feceris ulli.
8.
Lepra, stupor, febris, venti Dæmonque recedunt.
9.
Vocem, oculos, fluxum, vitam, & peccata remittit.
10.
Bissenos mittit, quibus est data summa potestas.

Quæ

11.
Quæ laus! quævemina, & Confessio! quàm leve pondus.
12.
Spica manus, Dæmon, blasphemia, signa propinqui.
13.
Discipulis aperit, turbis arcana recondit.
14.
Vox moritur; satiat; mare calcat, fimbria sanat.
15.
Nil illota manus: sanat, satiatquè secundo.
16.
Fermentum caveant: Petrus audit, petra, Satanque.
17.
Resplendet; puerum sanat, didrachmaque solvit.
18.
Sis minimus; fuge scandala; peccantem argue, parce.
19.
Nexus, conjugium: vende, aut possessa relinque.
20.
His dat mercedem; his calicem; illis lumina reddit.
21.
Rex Christus, mensas, ficum, Scribasquè revellit.
22.
Tentantes reprimit; Sadducæosquè refutat.
23.
Vera fides, praxis mala: Væ Scribis, Solymæque.
24.
Corruet hoc templum, & mundus; veniet Deus ut fur,
25.
Hinc vigilare monet, Supremi ob Judicis iram.
26. 27. 28.
Pascha facit; capitur,. mortem subit; inde resurgit.

SAnctus Marcus Evangelista Martyrio coronatus est, Anno octavo Neronis, breve scripsit Evangelium, testis S. Hieronymus in libr: de Script: Eccles: Græcè scriptum initio S. Marci Evangelium, scribunt S. Hieronymus in præfatione ad Damasum, & S. August: lib: 1. cap: 2. de consensu Evangelistarum. Latinè autem scriptum, testatur Damasus in Vita S. Petri; quæ ponitur ad initium primi tomi Conciliorum: testantur etiam Syri, qui ad finem Evangelii secundum Marcum scribunt, Evangelium S. Marci Romæ & linguâ Romanâ scriptum.

Sed quidquid de hac re sit, satis constat latinam vete-

veterem & vulgatam editionem tam Matthæi quàm Marci ex Græca editione translatam.

M A R C I.

Cap: 1.
Quæ vox, quæ doctrina nova? Unde huic tanta potestas?
2.
Parcat, vel comedat; legem nec Sabbatha solvit.
3.
Restituitque manum, blasphemantesque retundit.
4.
Arcana exponit, tempestatemque refrænat.
5.
Dæmonium in porcos; fluxum vitamque remittit.
6.
Hunc testantur origo fabrum, miracula Christum.
7.
Hi labiis orant, hæc corde: hic fatur & audit:
8.
Dat panem & visum: bene de Christo & malè Petrus.
9.
Resplendet, Puerum sanat: fuge scandala, & alta.
10.
Hanc retine; hos recipe; hæc dimitte, hunc accipe; cerne.
11.
Christus ovans; arens ficus, merx, Scribaque pulsus.
12. 13.
Quàm bene respondet! mundi quam tetra ruina!
14. 15. 16.
Traditur, expirat; surgit, super æthera scandit.

SAnctus Lucas Evangelista, Sancti Pauli Comes, & Sectator, vixit annos octoginta quatuor uxorem non habens: scripsitque duo Sacra Volumina, Evangelium & Acta Apostolorum, testis Hieronymus de Script: Eccl: neque de his ulla controversia est.

L U C Æ.

Cap: 1.
Nuntia Zachariæ, Mariæque; hæc cantat, & ille.
2.
Nascitur, incisusque offertur; quæritur, infra est.
3. 4.
Vox parat ecce viam, jejunat, patria spernit.
5.
Pisces Lepra, stuporquè Levi miranda loquuntur.

Sabba-

6.
Sabbathi is est Dominus, nova dans præcepta Magister.
7.
Dat fidei puerum & Viduæ: hic laudatur & ungens.
8.
Venti, Dæmonium, Sanguis, mors, vitaque parent.
9.
Eligit & satiat, splendet, Dæmonque fugatur.
10.
Discipulos mittit: quis proximus; & melior pars.
11.
Sic orate; Dei est expellere Dæmonia: væ, væ.
12.
Fermentum, argentum, curæ, somnusque cavenda.
13.
Crimina flete: hæc erigitur: quàm janua stricta!
14.
Hydropem sanat; legito inferiora crucemque
15.
Gaudia quanta ab ove, & drachma, natoquê repertis.
16.
Pauperibus date: lex; Conjux, & Dives avarus.
17.
Scandala; leprosique decem: hæc sumpta, illa relicta.
18.
Assiduusque, humilisque ora; da: desere: cerne.
19.
Zachæus, Solyma excipiunt; flet: pellitur emptor.
20.
Tentantes Scribas Sadducæosque retundit.
21.
Plus aliis dedit hæc, casus notat Urbis, & orbis,
22. 23. 24.
Venditus, illusus, fixus post funera vivit.

SAnctus Joannes Apostolus & Evangelista, dilectus Deo & hominibus, usque ad Trajani Jmperatoris tempora pervenit, & sexagesimo octavo post passionem Domini anno, qui erat annus à Nativitate ejusdem Domini nostri centesimus vel centesimus primus, cum pace quievit, testes Eusebius in Chron: S. Hieronymus in libr: de Script: Eccles: & alii.

Scripsit Evangelium, Apocalypsim & epistolas tres, & quidem Evangelium, de quo nulla unquam fuit dubitatio,

tio, scripsit post alios tres Evangelistas, & quoniam Sancti Apostoli brevitati studebant maximè, ideo Sanctus Joannes fere omnia prætermisit, quæ ab aliis scripta fuerunt, ea siquidem sola repetiit, quibus addendum aliquid existimavit.

De Apocalypsi dubitatio aliqua fuit olim apud Græcos præcipuè, & nunc est apud Hæreticos, quemadmodum etiam de secunda & tertia epistola, sed Ecclesia Catholica tum Apocalypsim, tum epistolas illas duas, ut Evangelium & epistolam primam in numerum Sanctarum Scripturarum sub nomine S. Joannis recepit.

Vide Controversias Bellarmini libro 1. De verbo Dei cap: 18. & 19.

J O A N N I S.

Cap: 1.
Verbum est lux, fit homo, est Christus, perhibente Joanne.
2.
In vinum convertit aquam, zeloque voratur.
3.
Si quis vult vitam, bis nasci & credere debet.
4.
Lassus aquam petit & tribuit; febrimque repellit.
5.
Languidus exiliens: Patris ac Nati una potestas
6.
Magnum in pane, marique opus; ast in corpore majus.
7. 8.
Murmur de Christo: non hæc lapidata, nec ille.
9.
Cæcus abit, lavat & videt; & confessus adorat.
10.
Ostium ego, & Pastor bonus; unum fiet ovile.
11. 12.
Lazarus è tumulo: hæc ungit; plebs clamat Osanna.
13. 14. 14. 16. 17.
Hos lavat: iisque fidem, spem & amorem præcipit: orat.
18. 19.
Funes, flagra, Corona, alapæ, crux, lancea, myrrha.
20. 21.
Quærit amans; dubitat Thomas: Petre pasce, quid ad te?

ACTUUM APOSTOLORUM.

Cap: 1. 2.
Ascensus: sors Matthiæ: oraque Spiritus implet.

Dum

3. 4. 5.
Dum salit hic, frendent: mors & constantia terret.
6. 7. 8.
Ex septem Stephanum lapidant: Samaria credit.
9. 10. 11.
Saulus, & Æneas, Dorcas, Dux, Gensque vocantur.
12. 13.
Petri libertas & Pauli Missio fulgent.
14. 15.
Immolat & lapidat plebs: Circumcisio nulla.
16. 17.
Cæsi clauduntur: Paulum hinc mirantur Athenæ.
18. 19.
Dat victum labor, & Pauli sudaria sanant.
20.
Suscitat Eutychum; ac Christi commendat ovile.
21. 22.
Vi tractus de templo, auget sermone tumultum.
23. 24.
Salvus ab insidiis, coram Felice perorat,
25. 26.
Appellat Romam, Festo insanire videtur.
27. 28.
Naufragio appellit Melitam; Romæque moratur.

SAnctus Paulus Apostolus ab ipso Christo de Cælo vocatus, & per Cælestem revelationem Evangelium plenissimè edoctus, repente de persecutore Prædicator eximius factus, eodem anno & die, quo Sanctus Petrus, Martyrio coronatus est, cujus rei Eusebius in Chronico, Sanctus Hieronymus de Script: Eclces: & omnis antiquitas testis est. Scripsit epistolas quatuordecim:

Ad Romanos - - -	1.
Ad Corinthios - - -	2.
Ad Galatas - - -	1.
Ad Ephesios - - -	1.
Ad Philippenses - - -	1.
Ad Colossenses - - -	1.
Ad Thessalonicenses - -	2.
Ad Timotheum - - -	2.
Ad Titum - - - -	1.
Ad Philemonem - - -	1.
Ad Hebræos - - -	1.

Et quidem de primis tredecim nulla unquam controversia fuit. Epistolam ad Hebræos teste S. Hieronymo in lib: de Script: Eccl: alii tribuebant Barnabæ, alii Lucæ, alii Clementi Romano: nec defuerunt Hæretici, qui huic epistolæ Authoritati detraherent; cæterum esse eam & verè Canonicam, & à S. Paulo scriptam testis est Ecclesia Catholica universa, quæ illam legit assiduè inter Missarum Solemnia sub nomine Beati Pauli Apostoli.

Præter has Epistolas quatuordecim, fertur & alia sub Nomine Beati Pauli ad Laodicenses; sed ea [inquit S. Hieronymus in lib: de Script: Eccl:] ab Omnibus exploditur; feruntur quoque sub ejusdem B. Pauli nomine epistolæ quædam breves ad Senecam: quas S. Hieronymus in eodem lib: in Seneca non videtur contempsisse. Sed Ecclesia Catholica neque epistolam ad Laodicenses, neque epistolam ad Senecam in Catalogo Scripturarum posuit, ac per hoc B. Pauli eas non esse censuit.

AD ROMANOS.

Cap: 1.
Laudatur Romana fides: reprobi ultio justa.
2. 3.
Non lex, non natura, facit sed gratia jutos.
4. 5.
Justitiæ reputata fides: nunc gratia abundat.
6. 7.
Per Christum liber, per Christum à lege solutus.
8. 9.
Gratia successit legi; Gentes recutitis.
10. 11.
Justitiam ignorant: Deus hos aliquando reducet.
12. 13.
Sancti, humiles, cari, lætique, obedite potenti.
14. 15.
Infirmi firmate fidem: mea gloria Gentes.
16.
Hos illosque Salutate: hi mecumque salutant.

I. AD CORINTHIOS.

Cap: 1.
Solus baptizat Christus: crux gloria nostra.
2. 3.
Hanc solùm scio, nil sunt Paulus, Apollo, Cephasque.

Judi-

4.
Judicium Domino, ipsius sunt munera vestra.
5. 6,
Hunc trado Satanæ: vos templum membraque Christi.
7.
Qui nupsit bene, sed meliùs qui Virgo remansit.
8. 9.
Succurrere infirmo Fratri; omnibus omnia factus.
10.
Nobis est potus sanguis Christi, escaque corpus.
11.
Indignè ergo bibens vel edens, utriusque reus fit.
12.
Corporis unius varia estis membra fideles.
13. 14.
Maxima virtutum Dei amor: majorque prophetans.
15.
Christus surrexit tumulo: omnes ergo resurgent.
16.
Collectæ fiant: Ego vos, Sociique salutant.

---

2. AD CORINTHIOS.

Cap: 1.
Adversis constans animus; sermo quoque constans.
2.
Si tristes quis lætificet? Volo parcite lapso.
3. 4.
Gloria vos estis mea: Spem addit gloria major.
5.
O utinam pereat domus hæc! en tempora Sancta.
7.
Vestra mihi virtus, quin & dat gaudia mæror.
8. 9.
Prompto hilarique animo date; vobis Macedo monstrat.
10.
Talis ero præsens, qualem mea epistola fingit.
11.
Zelotes vestri sum, tanta pericula passus.
12.
Laudibus insipiens nec ero, Vos dummodo lucrer.
13.
Ædificat, non destruit, hæc collata potestas.

AD

AD GALATAS.

Cap: 1.
Jstud Evangelium Christus mihi tradidit ipse.
2.
Gentiles mihi, Circumcisio credita Petro.
3.
Non factis Abrahæ, at fidei promissio facta.
4.
Servus sub lege, at sub Christo filius hæres.
5. 6.
Justitia à Christo, in Christi Cruce gloria tantùm.

AD EPHESIOS.

Cap: 1.
Christus honor, sors, spes & sanctificatio nostra.
2.
Gens inimica Deo, nunc facta domestica Christi.
3.
Participes vos esse Dei, hoc annuntio vobis.
4.
Unum estis corpus, sit vobis Spiritus unus
5. 6.
Diligite uxores: in Spiritualia pugnæ.

AD PHILIPPENSES.

Cap: 1.
Dissolvi cupio, at pro vobis vivere votum.
2.
Sola meos in vos affectus gaudia produnt.
3. 4.
Hæc iterum repeto; Vos o! mea gaudia fratres.

AD COLOSSENSES.

Cap: 1.
Christus imago Dei, primogenitusque creati.
2.
Crimina donavit nobis, chirographa delens.
3. 4.
Expoliate hominem veterem: sal condiat ora.

1. AD

1. AD THESSALONICENSES.

Cap: 1.
Vestra fides, sermoque Dei clarescit ubique.
2. 3.
Gloria vos, & spes, & consolatio nostra.
4. 5.
Qui dormit surget; vigilandum nocte dieque.

2. AD THESSALONICENSES.

Cap: 1. 2. 3.
Glorior in Vobis: scripta & non scripta tenete.

1. AD TIMOTHEUM.

Cap: 1. 2.
Qui blasphemus eram, Doctorem gratia fecit.
3.
Irreprehensibilis sit Episcopus, atque Minister.
4.
Spiritus erroris veniet: lege, carpe, doceto.
5. 6.
Sic vive erga alios; alii sic, gratia tecum.

2. AD TIMOTHEUM.

Cap: 1.
Intrepidum te age Præconem, mecumque labora
2.
Regnabit patiens; noli contendere verbis.
3. 4.
Devitans homines sceleratos: sobrius esto.

AD TITUM.

Cap: 1 2. 3.
Elige Presbyteros, dictis, factisque moneto.

AD PHILEMONEM.

Cap: *unic*.
In me suscipio fili, quod Onesimus in te.

Cap: 1. 2.
Filio & hæredi Christo, Deus omnia subdit.
3. 4.
Hic Moysis Dominus; requiem credentibus offert.
5. 6.
Pontificum exemplar: recedenti grande periclum.
7. 8.
Melchisedece typo, æternus summusque Sacerdos.
9. 10.
Sanguine sanctificat Christus, semel hostia factus.
11.
Mira patrando fides, nondum promissa recepit.
12. 13.
Aspicite in Jesum, vestrisque obedite Magistris.

SAnctus Jacobus Apostolus epistolam unam scripsit, quæ de septem Catholicis est; at nonnulla quæstio est tam de ipso Jacobo, quàm de ejus epistola. Græci in Menologio tres Jacobos Apostolos celebrant, Jacobum Alphæi die nona Octobris, Jacobum fratrem Domini die vigesima tertia ejusdem Mensis; & Jacobum Zebedæi die 30. Aprilis. S. Hieronymus in libro contra Helvidiùm, meminit hujus Opinionis, quæ tres Jacobos facit, duos ex numero duodecim Apostolorum, & unum extra numerum, sed rectè in eodem loco hanc opinionem refellit; Nam idem omnino est Jacobus Alphæi & Jacobus frater Domini, qui & minor dicitur in Evangelio: & duos tantum novit, & celebrat Ecclesia Latina, Jacobum Fratrem Joannis die 25. Julii & Jacobum Alphæi Fratrem Domini, die prima Maji; cur autem dicatur Frater Domini, aliis rejectis, ratio hæc est: Jacobus hic fuit filius Cleophæ, qui Cleophas fuit frater Sancti Josephi, hinc enim Maria Cleophæ, dicitur Soror Matris Domini Joan: 19. quia erat uxor Cleophæ Fratris Joseph, usitatum enim est, ut Conjuges duorum Fratrum, Sorores nominentur, & quemadmodum Maria Cleophæ dicebatur Soror Mariæ Matris Domini: Sic etiam Jocobus Frater Domini, quia erat filius Sororis Matris Domini; quòd verò S. Jacobus minor dicatur in Evangelio Jacobus Alphæi, hoc inde venit probabiliùs; quòd Pater S. Jacobi fuerit binomius, quemadmodum S. Matthæus dicitur etiam Levi, & S. Petrus dicitur etiam Simon: & observat S. Hieronymus in lib: contra

contra Helvidium in Sacris scripturis, multos esse binomios.

Quod attinet ad Epistolam ejus, non defuerunt olim, qui de ejus authoritate dubitarent, & hoc tempore ab hæreticis in dubium revocatur. Sed certissimè epistola Sacra & Canonica est. Vide Bellarminum lib: 1. de Verbo Dei cap: 18.

Extat nomine S. Jacobi Protoevangelium, sed ab Ecclesia nunquam receptum. Extat etiam Liturgia eidem S. Jacobo attributa: quæ tamen à posterioribus ita locupletata est, ut non sit facile dijudicare quæ pars ejus Liturgiæ Sanctum Jacobum habeat Authorem. Obiit hic beatissimus Apostolus glorioso martyrio coronatus Anno septimo Neronis, ut scribit S. Hieronymus in lib: de Script: Ecles:

J A C O B I.

Cap: 1. 2.
Sis patiens mitisque; fidem praxisque sequatur.
3. 4. 5.
Lingua, cupido, & opes, mala: inungat Presbyter ægros.

Sanctus Petrus Apostolus & Christianorum Summus Pontifex, & Vicarius Jesu Christi, qui est Sacerdos in æternum, anno Domini trigesimo tertio, vel secundùm alios tricesimo quarto, Ecclesiæ Christianæ præsidere cæpit, & anno sexagesimo nono vel secundùm alios septuagesimo Martyrio coronatus est. Scripsit epistolas duas, de priore nulla unquam dubitatio fuit, de posteriore propter styli diversitatem nonnulla apud aliquos dubitatio fuit, sed Ecclesia utramque Epistolam, & Canonicam, & S. Petri esse docuit in Concilio Laodiceno, Carthaginensi tertio, & Tridentino. Cur autem diversus videatur stylus prioris & posterioris epistolæ, rationem reddit Sanctus Hieronymus in Epistola ad Hedibiam quæst: 11. quoniam Apostolus non semper eodem interprete utebatur.

1. P E T R I.

Cap: 1. 2.
Sanguine mundati, Conformes vivite Christo.
3. 4. 5.
Sint Cultus, mores, & dicta hoc nomine digna.

2. PE-

2. PETRI.

Cap: 1. 2. 3.
Scandite ad alta: istos fugite: expectate futura.

1. JOANNIS.

Cap: 1. 2.
Lux Deus est, tenebræ nos; lux sed fimus amando.
3. 4. 5.
Tantum debemus, quantum est testatus amorem.

2. *Cap: unic:*
Hæreticis nec ave dicas. Tibi plura reservo.
3. *Cap: unic:*
Scribere multa tibi nolens, hæc pauca remitto:
Non imitare malum, sed quæ bona fratribus, hæc fac.

SAnctus Judas Frater Jacobi Apostoli ex duodecim, unam eamque brevem scripsit epistolam, quam Ecclesia ut Sacram & Canonicam recipit.

JUDÆ.

Cap: unic:
Tradita jam vobis fidei præcepta tenete.

APOCALYPSIS.

Cap: 1.
Vidi viventem, & candelabra aurea septem.
2.
Sede movebo sua fragilem; dabo præmia forti.
3.
Evomam ab ore meo tepidum: sto & ad Ostia pulso.
4. 5.
Ter Sancto Domino benedictio: Gloria & Agno.
6.
Prodigiis fæcunda micant reserata Sigilla.
7.
De quacunque tribu signantur millia bis sex.
8. 9.
Signa tubas Cælo, terrâque, marique secuta.
10.
Fulmina dant voces; librumque vorare jubetur.

11.
Et recipit testes, & grates intonat æther,
12.
Fulgida Sole paritque, fugitque; hinc pugna Draconis.
13.
Bestia blasphemat Dominum, Sanctosque, Domumque.
14.
Agnum Virginitas, morientes facta sequuntur.
15. 16.
Cantant Victores. Phialas effundite septem.
17. 18.
Magna Babel Meretrix, Cælo exultante peribit
19. 20.
Cæna Agni, Rex Regum: Annorum mille potestas.
21. 22.
Sponsa Dei est Ecclesia; & est lux illius Agnus.

NOVI TESTAMENTI FINIS.

Pro vario Scripturæ Divinæ sensu, varii consulendi sunt Auctores, ad id appositè & metricè Sixtus Senensis in sua Bibliotheca sancta:

Historiam, Hebræis & Græcis fontibus haustam
Hieronymo disces Duce.
Allegorias, Anagogemque recludent
Origines, & Ambrosius.
Exponent sensus formandis moribus aptos
Chrysostomus & Gregorius.
In dubiis, altaque locis caligine mersis
Aurelius lucem feret.
At brevis & facilis non est spernenda tyroni
Lirinensis expositio

Pro Clericis brevissima praxis imitandi Christum Dei Filium in terris conversantem, Clericorum Principem, & Summum Sacerdotem.

1.

JEsus valde diluculo surgens, egressus abiit in desertum locum, ibique orabat. Mar: 1. docens, quod Clerici debeant matutinum tempus impendere, & dare operibus pietatis erga Deum, scilicet orationi, sacræ meditationi, laudi divinæ, gratiarum actioni *&c:* atque sic primitias diei offerre Deo.

2.

Expletis operibus pietatis erga Deum, Jesus accinxit se ad opera charitatis & misericordiæ spiritualis ac corporalis exhibenda proximis, docendo & prædicando, infirmos sanando, *&c:* Unde post finem orationis ait ad Apostolos: eamus in proximos vicos & civitates; ut & ibi prædicem: ad hoc enim veni. Mar: 1. per quod docere voluit Clericos, quod post finem divini officii debeant se convertere ad proximos per opera charitatis & misericordiæ spiritualis & corporalis juvandos pro cujusque facultate & viribus à Deo concessis, tempusque negotiationis spiritualis non otiando, ludendo, compotando *&c:* consumant; sed in proximorum utilitatem, & finaliter ac ultimatò ad Dei gloriam promovendam impendere studeant; considerantes quòd ad hoc venerint, & à Deo vocati sint ad Clericatum.

3.

Tempore vespertino Jesus dimisso populo rediit ad solitudinem, ut orationi vacaret. Cum dimisisset eos, abiit in montem orare Mar: 6. & Luc: 6. conveniebant turbæ multæ, ut audirent, & sana-

rentur à languoribus suis: ipse autem secedebat in desertum, & orabat.

Per quod docere voluit Clericos, quod circa tempus vespertinum, dimissis operibus & negotiis circa proximos, debeant ad sua spiritualia exercitia reverti, quæ ad Dei cultum & propriæ animæ culturam pertinent; cujusmodi sunt oratio, laus Dei vocalis, divinarum rerum meditatio, & contemplatio, examen conscientiæ, materiæ pro crastina meditatione inventio, & dispositio *&c.*

4.

Quamvis Jesus ex conversatione cum utriusque sexûs hominibus nullum potuerit adire periculum, aut pati animæ damnum, nihilominus nunquam cum fæmina sola loqui voluit privatim, & in loco non publico, patente, & omnibus conspicuo. Joan: 4. per quod Clericos docere voluit, quòd ad evitandum incontinentiæ periculum, aut infamiam, debeant fugere conversationem & omnem collocutionem cum fæmina quacunque clandestinam, occultam & secretam. Cornelius à lapide in cap: 4. Joan.

5.

Jesus à fæminis Maria Matre sua Sanctissima, Martha, Maria Magdalena, Samaritana, interpellatus, nonnisi spiritualia & ædificatoria cum illis locutus est. Per quod docere voluit Clericos, quod in casibus necessariis, ubi cum fæminis loquendum est, nonnisi spiritualia, & ædificatoria loqui & proferre debeant.

POSITIONES,
CUM
QUÆSTIONIBUS,
AD
THEOLOGIAM
PRÆVIÆ.

PRO PUBLICO EXAMINE SCHOLASTICO,
Dato omnibus proponendi & objiciendi loco,

EXPOSITÆ.

IN SEMINARIO VARSAVIENSI, CONGREGATIONIS MISSIONIS.

ANNO 1778.

I.

SAcra Scriptura eſt verbum DEI scriptum, & per Eccleſiam manifeſtatum.

II.

Tria in Scripturis diſtingui debent; res, verba, & ſtylus. Triplex quoque in Scriptoribus diſtinguenda eſt operatio, revelatio nempe, inspiratio, ac specialis aſſiſtentia.

III.

III.

Specialis Spiritus Sancti assistentia ad Scripturas non sufficit, sed vera & propriè dicta inspiratio ad eas est admittenda; non tamen ad singulas Scripturæ sententias admittenda est peculiaris DEI revelatio. Verborum delectus & stylus uniuscujusque Scriptoris Sacri ingenio ac indoli permissus est, sine speciali & immediata inspiratione ad singula verba, licèt sint omnia & singula, quibus exprimuntur Mysteria, Prophetiæ, aliaque similia captum hominis superantia, inspirata & dictata à Spiritu Sancto.

IV.

Generatim Scriptura in novum & vetus Testamentum dividitur? Vetus 45. Novum 27. libros continet, qui in Proto & Deutero Canonicos divisi, bene in Legales, Historicos, Sapientiales & Propheticos dividuntur.

V.

Versiones Scripturæ præcipuæ sunt: Græca, Syriaca, Arabia, Chaldaica Jtala seu latina & Vulgata.

VI.

Jnter Græcas veteris Testamenti versiones, quatuor celebriores sunt. Prima & antiquissima est septuaginta Jnterpretum, qua versione usi sunt Apostoli, quâ usa est, & etiamnum utitur Ecclesia Græca, & quæ velut authentica diu in Ecclesia obtinuit, & etiamnum obtineret, si ex Ecclesiæ judicio, atque sententia certum foret, eam, quæ nunc extat, Authographo Septuaginta Jnterpretum conformem esse.

VII.

VII.

Nonnulli post Philonem Judæum arbitrantur illos Septuaginta Jnterpretes, qui rogante Ptolomæo Philadelpho Ægyptiorum Rege ab Eleazaro Summo Pontifice in Ægyptum missi sunt, ubi Libros Sacros hæbraicè scriptos in Græcum Sermonem converterunt, divinitus afflatos & inspiratos fuisse, immo S. Justinus, referente S. Augustino Lib: 2. de doctrina Christiana narrat, eos Singulos in Singulis cellulis separatim inclusos, iisdem verbis, eodemque rerum Ordine usos fuisse, eodem scilicet dictante Spiritu Sancto; Verum confictam illam cellularum fabellam exsufflat S. Hieronymus in prologo Pentateuchi, cui tamen non omnes, aliorum Authoritate ac ratione freti, subscribunt, eorum numero & nos adjungi haud illicitum nobis putamus.

VIII.

Secunda versio Græca est Aquilæ, qui ex Christiano factus est Judæus, vixitque imperante Adriano circa Annum à Christo nato 130. Tertia Symmachi Samaritani, qui ejurato Judaismo factus est Christianus, ac tandem ex Catholicis defecit ad hæreticos Ebionitas: scripsit post Aquilam imperante Commodo; Quarta à Theodotione fuit adornata. Js post susceptum Baptismum & propugnata Marcionis deliria ad Judæos se transtulit sub Antonio Caracalla ineunte sæculo tertio.

IX.

Versiones Syriaca, Chaldaica, & Arabica, quamquam utilitatis aliquid afferre possint ad elucidandum textum sacrum, nusquam tamen ab Universali Ecclesia fuerunt approbatæ.

X.

X.

Jnter Latinas versiones celebratiſſimæ sunt, Jtala & vulgata, Jtala eſt Antiquiſſima, cujus Auctor ignoratur, vocatur à S. Hieronymo *Communis* & *vulgata*, quia usque ad hanc ætatem eâ utebatur Ecclesia. Hanc emendavit S. Doctor, qui, ut ipse refert in fine libri de Scriptoribus Ecclesiaſticis, novum Teſtamentum græcæ fidei reddidit, & vetus juxta hæbraicam tranſtulit.

XI.

Versioni Jtalæ, vulgata noſtra succeſſit, cui meritò prælata eſt, ut pote, quæ non ex versione veteris Teſtamenti, sicut Jtala, sed ex ipso primigenio textu edita fuerit, atque ideo fonti vicinior ac purior.

XII.

Eſt igitur Vulgata noſtra, Vetus Jtala, à S. Hieronymo recognita & emendata, quam Ecclesia in Concilio Tridentino authenticam eſſe declaravit, id eſt non quidem ab omnibus nævis immunem, multa enim de induſtria relicta sunt, quæ correctione indigere videbantur, ait Bellarminus in Epiſtola ad Lucam Burgensem; sed absolute & simpliciter fidelem, & sinceram in iis, quæ pertinent ad fidem & mores, & ceteris editionibus latinis præferendam. Vide Pallavicinum Lib: 6. Hiſt: Con: Triden: Cap: 17.

XIII.

Omnes veteris Teſtamenti libri hebraicè exarati sunt (modo tamen nonnulli excipiantur, qui poſt Esdram græcè scripti) novi autem Teſtamenti Librorum, textus originalis & primigenius

genius græcus eſt, exceptis Evangelio S. Matthæi & Epiſtola S. Pauli ad Hæbreos hæbraicè seu Syriacè scriptis, pura namque hebraica lingua tunc temporis apud Judæos domeſtica, & vernacula non erat.

XIV.

Dubium non eſt quominus Hæretici tentaverint sæpius Sacrum textum adulterare, nec etiam dubium eſt, quin leviores quidam nævi in eo occurrant, quod ex varietate codicum hebraicorum, græcorum & latinorum facilè demonſtratur; nullum etiam dubium eſt ut primævus novi Teſtamenti textus purus non fluat in iis, quæ ad fidem & mores spectant, versatur id duntatax circa textum hebraicum, quem Catholici nonnulli, longè plurimis aliis repugnantibûs, contendunt à Judæis corruptum de induſtria fuisſe, nos à S. Auguſtino regulam hac in parte ſtatutam sequentes, dicimus: Ubi versiones discordes sunt, ad ipsum primævum textum recurrendum eſſe, verumque eſſe id, quod idem S. Doctor docet, Judæos nempe DEO providente per universum idcirco dispersos, ut ex libris, quos ipsi habent, convincantur Gentiles, confictas à nobis non eſſe de Chriſto Prophetias, quas ex infenſiſſimis Chriſtiani Nominis hoſtibus accepimus. *Codicem portat Judæus unde credat Christianus, Librarii nostri facti sunt, quomodo solent servi post Dominos codices ferre, ut illi portando deficiant, illi legendo proficiant.* Lib: 18. de Civit: Dei Cap: 24.

XV.

Sensus Scripturæ generatim duplex eſt, literalis & myſticus. Ejusdem Scripturæ multiplex eſſe poteſt literalis. Myſticus verò triplex diſtinguitur, Allegoricus videlicet, moralis & Anagogicus. Ex solo sensu literali haberi poteſt ali-

quid

quid fide divina credendum, non autem ex sensu myſtico & Spirituali, niſi à Spiritu Sancto vel in Scripturis, vel in traditione declaretur. *Nunquam Parobolæ & dubia ænigmatum intelligentia potest ad Authoritatem dogmatum proficere.* S. Hieron: in Cap: 13. S. Matth.

QUÆSTIONES.

I.

De Locis Theologicis.

Quid, quot, & quinam ſint?

II.

De Traditione.

Quid eſt? quotuplex? quomodo divina diſtinguatur ab Eccleſiaſtica, & quomodò à pura Apoſtolica ſecernatur. Traditionem non ſcriptam & olim fuiſſe, & etiam nunc eſſe neceſſariam, quibus argumentis oſtenditur?

III.

De Conciliis.

Quid? quotuplexque Concilium? quibus modis dici poſſit Æcumenicum? quibus conditionibus Chriſtus Conciliis promiſit ſe adfuturum? quâ viâ certò conſtare poſſit, an in Concilio ſervatum fuit quidquid neceſſum eſt, ut firma ſit & rata ejus definitio? an quæcunque in Conciliis proferantur ab Epiſcopis, ut docendis decretis viam præmuniant ad fidem Catholicam pertineant, & quibus regulis diſcerni debeant ea,

quæ

quæ tanquam de fide tenenda proponuntur, ab aliis, quæ non sunt de fide? an Concilium generale errare poſſit in fidei & morum decretis? An soli Episcopi sedeant in Conciliis fidei Judices: an non etiam simplices Presbyteri? an Concilia generalia ex se ipsis virtute promiſſionum Chriſti, vel ex subsequente duntaxat Ecclesiarum acceptatione vim suam & auctoritatem supremam sortiantur? an Concilia sint absolutè neceſſaria?

IV.

De Sede Apoſtolica, seu Romana Ecclesia.

An Sedes Romana cæteris Ecclesiis dignitate & Auctoritate præmineat? an sit indefectibilis? an Romanus Pontifex primatum habeat honoris & jurisdictionis supra cæteros Episcopos?

V.

Quid de Authoritate Sanctorum Patrum? Theologorum Scholaſticorum? ratione naturali? Authoritate Philosophorum? Jurisconsultorum? & quid de Auctoritate humanæ hiſtoriæ in materiis, probationibusque Theologicis dicendum.

Ad Majorem DEI Gloriam.

48
48
I. S. Smith.

